BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
146
F
60
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT

VOLUMEN XVII.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
NAPOLI

PISIS MDCCXCVIII.

APUD PETRUM JACOMELLIUM

Superioribus Annuentibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO
ARCHIDUCI AUSTRIAE
&c.

ANGELUS FABRONIUS

Consideranti mihi, dum Tibi inscriberem hujusce operis XI. Volumen, docilitatem ingenii, studium in litteras, animum ad humanitatem, atque ad omne virtutis genus excolendum factum, licuit sane augurari, Te, CELSISSIME PRINCEPS REGIE, in adulta aetate eum fore, in quo salus rei publicae maxime niteretur. Gaudeo omini Te sic respondere, ut omnes gentes fateantur rem Austriacam summam fore, si perges porro virtute, & consilii felicitate, quam tot in praeliis & periculis adhibuisti, ipsi consulere.

Digitized by Google

Mihi ad senectutem jam vergenti nil aliud restat, nisi ut Deum immortalem precer, tantum ut mihi vitae spatium concedat, quo gloriae Tuae non solum auditor, sed etiam spectator sim atque praedicator. Interea, quod Tibi concinnavi munusculum ad renovandam Italorum doctrina praestantium memoriam, quorum in numero unus extitit, quo praeceptore usus es, ea, qua soles, benignitate accipies. Memineris profecto illa fulmina belli Scipiades, Lucullum, Caesarem, ceterosque illustriores Romanos Imperatores vel inter armorum strepitus litterarum studia nunquam intermittere consuevisse. Vive diu, tamque felix sis ad casum fortunamque, quam esse soles ad labores impiger, ad pericula fortis, & ad consilia prudens.

Digitized by Google

PAULLUS SARPIUS

Instituenti mihi scribere de Galilejo statim in mentem venit vitam quoque declarare Paulli Sarpii, quocum multa ob similitudinem studiorum habuit communia, quique talis fuit vir, quemadmodum de eo affirmavit Salmasius (*), *quo felicius ad omnia ingenium post renatas litteras natum dixerim nullum, immo vel ab anterioribus etiam multis saeculis, adeo ut in eo formando totam se videatur impendisse naturam, sed & exemplar protinus corrupisse, ne par, aut similis alius unquam posset existere.* Ortus is Venetiis postridie id. Sextilis an. MDLII.

(*) In epistola, qua Venetorum Reip. suas exercitationes Plinianas in Solinum nuncupavit. *Non facile quidem invenies hominem, qui pro diverso partium studio Sarpio effusius laudatus, & acerbius reprehensus fuerit.*

patre Francisco origine Forojulienſi, homine litigioſo, & natura aſperrimo, qui non admodum feliciter mercaturam faciebat, matre autem Eliſabetha Morellia, prudentiſſima atque diligentiſſima femina, magna vel a prima aetate dedit ſigna pudoris & ingenii. Non tam in gremio, quam in ſermone matris educatus (pater enim mature deceſſerat) quae ejus auribus quotidie inculcabat, nequaquam ſatis eſſe bonam indolem a natura accepiſſe, niſi ea optimis inſtitutionibus multoque labore formaretur, movebatur adeo ad omnem virtutem percipiendam, ut & quaerendo, & diſcendo immemor eſſe videretur illorum oblectamentorum, quibus capiuntur puerorum animi. Praeceptorem habuit matris ipſius fratrem, qui publice humaniores litteras Venetiis docebat, vixque attigerat duodecimum aetatis annum, cum ductus ad Joannem Mariam Capellam Cremonenſem, hominem e Servorum, ut ajunt, B. M. V. familia, ab eo non philoſophia ſolum, & matheſi, ſed etiam Hebraica, & Graeca lingua eruditus eſt. Nec ſatis habuit cum hoc officiis, uſu,

consuetudine conjungi: iisdem enim vincu-lis familiae obstringi voluit, frustra obnitente avunculo, & matre, quae infirma fortuna, tenuique spe honeste collocandi filiam, huic & sibi ad omnes vitae status allatum iri subsidia a summae expectationis adolescentulo confidebat. Ipso die (fuit hic VIII. ante Kal. Decembris an. MDLXV.) quo sibi assumpto Paulli nomine (nam Petrus antea vocabatur) coenobiticam vitam ingressus est, ita disputavit de suis philosophiae studiis, ut omnes in admirationem sui traxerit, ex eoque tempore totum se divinis rebus dedidit. Semel iterumque, dum Mantuae familiaè comitia habebantur, experimentum fecit suae in his doctrinae, cumque Guillelmus Gonzaga ejus civitatis Dux, cujus auspiciis ter centum usque supra novem theses ex interiori theologia deprom-ptas publice defendendas susceperat, minime dubitaret, quin expectationem, quam sui concitarat, facile tueri, ac sustinere potuisset, ipsum, qui tum nondum compleverat decimum octavum aetatis annum, sibi in consiliis de rebus religiosis capien-

dis adesse voluit. Eodem tempore ipsius urbis Episcopus commisit illi exponendi, quae divinitus, & praeceptis institutisque Ecclesiae sunt tradita ad vitam christiane gubernandam, quibus muneribus non occupabatur adeo, quin operam quoque poneret in recolendis studiis litterarum Graecarum atque Hebraicarum, & in noscendo quidquid historiae monumentis est consignatum. Tradunt nonnulli, negant alii, vel ex eo tempore & sua sponte & cohortatione Camilli Olivi, qui una cum Hercule Gonzaga Cardinali interfuerat Tridentino Concilio, hujus historiam conscribere instituisse, qua de re non magnopere pugnabo, quod ex ea nihil ad scriptoris laudem redundet. Fama quoque est ipsum aliud opus exorsum fuisse, quo omnium Conciliorum historiam complecteretur, cujus duo magna volumina autographa se apud Bernardum Trevigianum vidisse testantur Apostolus Zenus & Bernardus Montfauconius. Ad hoc idem tempus referri quoque fortasse debent, quae de chronologia scribere aggressus est, cujus operis, quae ad nos pervenerunt, reli-

quiae, declarant fuiſſe illi in animo explicare ordines temporum ab Abrahami ad ſuam uſque aetatem, nec quidquam praetermittere rerum illuſtrium, quae toto hoc intervallo acciderunt. Quae eſſet Sarpii eruditio, quanta notitia antiquitatis, quantumque judicium in perpendendis ſcriptorum ſententiis, ex hoc uno opere, ſi ſummam illi impoſuiſſet manum, conjici potuiſſet, ſed non admodum ille gloria ducebatur, ut inſtituta perficeret, ſatis praemii ſe retuliſſe exiſtimans, ſi ſibi, & ſtudiis ſuis conſuluiſſet. Ceterum tanta is erat induſtria, tantumque evigilabat in litteris, ut etiam ſine vi ingenii, quae ſumma in illo fuit, quidquid vellet aſſequi potuiſſet; ne vero qua in re forte impediretur, atque alligaretur, quominus rectiſſimis ſuis ſtudiis plane, & pro ſuo arbitrio ſatisfaceret, aulam, poſtquam quadriennium in ea fuerat, deſeruit. Poſt id ad menſes aliquot Mediolani conſtitit, magnis honoribus affectus, nonnulliſque in rebus adhibitus a magno illo ingeniorum exiſtimatore Carolo Borromeo Cardinali, illius urbis Archiepiſcopo,

inde ad Venetos suos rediit, ut praeesset muneri docendae philosophiae, quod per triennium summa cum laude sustinuit. Qui tum dominabantur in coenobitarum praesertim scholis, barbare jubebant loqui Aristotelem, quem non intellexisset Oedipus, ita implicite, obscureque omnia, non auctoris, sed interpretum vitio, qui philosophi ordinem invertebant, & loco non disputabant, sed per coacervationem, veluti ex commentationibus, & sectis digladiabantur, quantum a veterum ratione remotius, tantum, ut ipsi ajebant, acutius. Dialectici nunquam hebetiores; nihil enim habebant ejus scientiae, quam profitebantur, nisi quod essent maxime contentiosi: methaphysicos ne quaeras; toti enim erant in agitandis ineptissimis quaestionibus, quas puduisset te dicere non intelligere, si ii ipsi intellexissent, qui illas, & proponebant, & defendebant. His ali nunquam potuit Sarpii ingenium, cui Deus ipse philosophiam veram dedisse videbatur. Itaque ea tradidit discipulis suis, quae frustra ab aliis illa aetate quaesiisses, & sive dialecticum ali-

quid, sive physicum, sive mathematicum explicaret, multa per se invenisse facile judicasses, quorum inventorum consequentes philosophi, aut comprobatores, aut aemuli fuerunt. Non haec dicere auderem, nisi extaret volumen (*), cui multa hujusmodi per summa capita consignavit, per quae intelligimus, nihil esse reconditis in

---

(*) *Hoc exaratum videtur ante annum 1678. quo munus explevit docendae philosophiae. Cetera inter referre libet quae de refractione lucis his verbis scripto mandavit.* Io ho fatto, *inquit ille*, molte esperienze in tal particolare con specchi sferici concavi, convessi e piani. e fin osservando l'effetto prodotto dai raggj del sole e dal risplendere della luna, e delle stelle nell'acqua arrivando, ed essendo riflettuti tali oggetti dalla medesima per determinare i loro siti e distanze. Diverse volte le sperienze furono conseguenti al principio fondamentale de' miei raziocinj, ma altre volte li trovai smentiti del tutto, il che ho grandi argomenti di credere esser possa derivato per quello, che in molti casi i raggj spezzati e divergenti entrano nel nostro occhio convergenti.

artibus, multiplicibusque (de mathematicis praesertim loquor) quin illarum pene infinitam vim & materiem scientiae cognitione comprehenderit. Maxime autem voluisset in obscuris, naturalibusque quaestionibus experientiam & observationem consulere, ne umbra & imaginibus deciperemur, tetigitque plura de aere & aqua, quae cum Galileii, de urentibus speculis, quae cum Cavallerii, de lunae phasibus (*) quae cum

---

(*) *Hac de re extat ejus epistola Latina ad Jacobum Lescasserium, quam primum edidit Franciscus Griselinius in fine libri, qui inscribitur:* Memorie anedote spettanti alla vita ed agli studj del sommo Filosofo e Giureconsulto F. Paolo Servita, *ex quo multa sumpsimus ad hanc vitam declarandam. Is laudem tribuit Sarpio quod ante Hevelium lunares maculas distinxit, ac tabulis consignavit, sed errasse in eo videtur, quod judicaverit laudem communem illi cum astronomo Dantiscano fuisse, qui multis astronomicis, & mathematicis observationibus, multisque inventis tabulas suas illustravit, ornavitque.*

Kepleri sententiis mirum in modum convenere. Nec satis illi fuit sensibus & animo ea, quae extra nos sunt, percipere; enumerare enim poterat, quae sit in figuris animantium, & quam solers, subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum, quam ob rem bestiarum varia genera secuit. Fecit hoc etiam inductus consuetudine, & familiaritate Fabritii Aquapendentis; qui anatomen magna cum nominis sui fama Patavii docebat, quique Venetiis esse solebat, quando feriabatur ab anatomicis exercitationibus. Gloriam, quam hic sibi quaesivit, edito libro *de ostiolis sanguinis*, qui liber viam patefecisse videtur Guillelmo Harvejo ad praeclarum illud inventum suum confirmandum, omnique ex parte demonstrandum de circuitu sanguinis ex venis in arterias, & ex arteriis rursus in venas, communem habuit cum Sarpio, quem primum inventorem fuisse valvularum Claudius Peireskius, & Thomas Bartolinius affirmarunt (*). Non me latet Jo. Ba-

(*) *Haec de Peireskio habet Gassendus in illius*

ptistam Morgagnium, omnem hujus inventi laudem adjudicasse Aquapendenti, idcirco quia nulli, si ipsum audis, qui ex Sarpii familiaribus, & studiorum sociis erant, men-

---

vita. Cum simul monuissem Guillelmum Harveum medicum Anglum edidisse praeclarum librum de successione sanguinis ex venis in arterias, & ex arteriis rursus in venas per imperceptas anastomoseis, inter caetera vero argumenta confirmasse illud ex venarum valvulis, de quibus ipse (Peireskius) inaudierat ab Aquapendente, & quarum inventorem primum Sarpium Servitam meminerat. *Bartolinius vero in Centuria I. suarum Epistolarum*. Ep. XXVI. *ait*. De circulatione Arveiana mihi secretum aperuit Veslingius nulli revelandum; esse nempe inventum Petri Pauli Veneti (a quo de ostiolis venarum habuit Aquapendens) ut ex ipsius autographo vidit, quod Venetiis servat P. Fulgentius, illius discipulus, & successor. *Qui plura hac de re scire cupiunt adeant librum, cui titulus*: Difesa dell' originario Diritto de' Sovrani ne' loro rispettivi dominj secondo il genio di Fra Paolo Sarpi. Tom. I. Venezia 1789.

Digitized by Google

tionem hujus rei fecissent, nisi jam pridem ipso Aquapendente e vivis erepto, quod quam alienum a vero sit, quae infra attulimus testimonia satis declarant. Ne qua suspicio sit Sarpium, dum in vivis erat Aquapendens, plurimum se exercuisse in anatomicis studiis, ut ad inventoris gloriam aspirare potuerit, in medium afferam illius testimonium, in eo quod pertinet ad contractionem, & dilatationem foraminis uveae. Ait enim mirum hoc naturae artificium, & arcanum observatum primum fuisse; sibique significatum a *R. P. Magistro Paulo Veneto Ordinis, ut appellant, Servorum, Theologo; Philosophoque insigni, sed mathematicarum disciplinarum, & praecipue optices maxime studioso*, factumque per illum, ut quid praestent fibrae longitudinales, & circulares, quae in ipsa uvea reperiuntur, ut oculi modo majori, modo minori pulsentur luce, intelligeremus (*). Sane non mediocris di-

(*) *Vide ejus* Tractatum de oculo, & visus organo.

ligentiae assiduitatisque in anatomicis exercitationibus fuit haec observare, summae vero doctrinae tum physicae, tum mathematicae aperire, quid oculis sive fibrarum, sive, quemadmodum aliis magis placuit, vasorum insitum sit, ut ii suo munere recte fungi possint. Tantum vero aberat Sarpius, ut imitaretur minutos philosophos, difficiles, invidos, qui omnia referunt ad laudem suam, ut si quid aut novum detexisset, aut obscurum patefecisset, de eo statim loqueretur cum peritissimis hominibus, non partiendae invidiae, sed communicandae laudis caussa. Nil enim tam volebat, quam servire communi utilitati omnium, multosque inflammare ad ingenuas liberalesque doctrinas nova luce illustrandas. Mirum autem omnibus videri debebat, nullam esse mathesis partem (sunt autem multae) nullam physicae, ne algebra quidem, medicina, chemia, naturalique historia excepta, de qua peritissime cum peritissimis viris minime loqueretur; nec satis laudavero ipsum, si dixerim, naturam ei insatiabilem cupiditatem veri inveniendi de-

Digitized by Google

disse, nisi illud addidero illustri adeo ingenio & industria fuisse, ut quidquid vellet facile assequeretur. Cum vero occasio illi dabatur dicendi de Deo immortali, de pietate, de religiosis institutionibus, de animi permotionibus, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de aequitate, de omni virtutis genere, quasi in suo regno esset, copiose adeo disputabat, ut vel eos, a quibus haec didicisse videbatur, interdum pudere cogeret se multarum rerum ignaros esse. Cum igitur necesse esset, ut huic multum tribuerent & concederent, vel antequam laurea decoraretur in Lycco Patavino, quod accidit Id. Maii an. MDLXXVIII. munus illi detulerunt docendae theologiae, docuitque ad consequentem usque annum, quo cunctis suffragiis in familiae comitiis, quae Veronae habita sunt, illius praefecturam (Provincialem dicunt) obtinuit. Res in omni memoria inaudita fuit, hominem, qui vix tum compleverat vigesimum sextum aetatis annum, accessisse ad gubernacula familiae. Statuit sibi nihil gravius faciendum, quam ut ubique optima studia cole-

rentur, & ſanctiſſimae leges non ſolum inſtaurarentur, ſed etiam inſtituerentur, qua in re communem habuit gloriam cum binis aliis prudentiſſimis viris, quibus hoc negotium mandatum fuit (*). Cum ſibi reſervaſſet illarum legum, quae ſtant adhuc, ſcriptionem, in eis & humanitatis, & aequitatis, & omnis virtutis effigiem expreſſam videre licet. Nec ſane ea verbis apte efferri potuiſſent, niſi in animo, atque mente impreſſa antea fuiſſent. Prorſus ſic

(*) *Hae Conſtitutiones Ferrariae editae fuerunt an. 1580. ſeque auctores habuiſſe teſtantur in praefatione Alexandrum de Scandiano Lombardiae Provincialem, Paullum Venetum Venetiarum Provincialem, & Socium Provincialis Romandiolae Cyrillum de Bononia. Non hanc modo laudem Sarpio tribuerunt ſui, ſed etiam ob id celebrandum ipſum putarunt, quod effecerit, ut omnia Familiae coenobia iiſdem vinculis, iiſdemque inſtitutionibus (erat enim ſejunctio quaedam inter ea, quae Venetae & Romanae Provinciae dicebantur) tenerentur.*

Digitized by Google

habeto, quidquid elaborari, aut effici potuit arte & sapientia ad familiae dignitatem & decus servandum, & ad benevolentiam suorum conciliandam summo studio Sarpium consecutum fuisse, quare minime est mirandum, si an. MDLXXXV. totius familiae procurationi praefectus fuit. Venit itaque Romam, ubi ipsa fama, quae de ejus doctrina percrebuerat, magnam laudem collegit. Erat saepe cum Bellarminio, cum Navarra, cum Castagna Cardinali, qui postea Urbani VII. nomine Summum Pontificatum adeptus est, & quia hic praefuerat conscriptioni decretorum Tridentini Concilii, ab eo aliquando caussam quaesivit, quare principiis illa, quae sequebantur, interdum minime congruerent. *Respondit ille* (ita Sarpius ipse in epistola quadam ad Lescasserium data III. Kal. Octobris MDCIX.) *decreta formari solita sibi ipsis omni ex parte similia, quae sicut reformationem initio proponebant, ita in fine statuebant; verum dum in Congregationibus Tridenti, & Romae respondebatur, praefatio omnibus arridebat, illa nemini erat molesta, sed ex decreti cor-*

Digitized by Google

pore oportebat tanta tollere, vel addere, donec omnibus satisfactum esset. Negotia familiae, quorum & caussa Neapolim accedere quoque debuit, non sic eum occupatum, districtumque tenebant, quin physicis studiis, veteribus deliciis suis, excolendis operam quoque impenderet. In ipsa Neapolis urbe invenit Io. Baptistam a Porta, quem antea Venetiis noverat, quocum de magneticis phaenomenis multa communicavit. Tam bellam, tam longe lateque diffusam hanc materiam judicavit, ut de ea volumen confecerit, in quod, ablegatis hypothesibus, retulit omne id, quod observando, experiendoque didicerat. Haec ipsa cum tractaret a Porta in suo de *naturali magia* opere, se gloriari dixit, quod multa a Sarpio didicisset, quo doctiorem, subtilioremque neminem se novisse affirmat, ut ad *Encyclopediam natum*, *& non tam Venetae urbis*, *aut Italiae*, *sed totius orbis splendorem*, *atque ornamentum* appellare minime dubitaverit. Profecto si illa in vulgus edidisset, magnam praeripuisset laudem Britannico philosopho Guillelmo Giberto, qui an-

anno MDC. opus de magnete emisit doctum sane & laboriosum. Nihil enim fere est in eo magni momenti, quod non antea perspexerit Sarpius, quamquam ejus industria in eo maxime versata fuerit, ut inclinationem, declinationem & varietatem acus magneticae notaret, qua re longitudo, ut Geographi loquuntur, locorum definiri posse putabatur. Vidit & ipse elici posse ferrum ex cineribus plantarum, ex argilla, aliisque corporibus, nec ignoravit omnia illa phaenomena, quae a magnete quomodocumque pendent, quamvis rationem, cur ita sint, afferre desperaverit. Ingenue vero se gessit, cum, emisso a Giberto, quod memoravimus, opere, nulla non laude illud celebrandum esse affirmavit, hoc & addens, gratulandum saeculo, quod binos edidisset viros suis, non alienis divitiis affluentes Gibertum, & Vietam. Neminem latet quantum hic scriptis suis illud matheseos genus provexerit, cui algebrae speciosae nomen est inditum; sed implevit ea vocibus novis, & obscuris rebus, ut egeant interprete acutissimo. Ipsa magnitudo rerum, atque

utilitas invitavit Sarpium non solum ad patefacienda ea, quae difficiles explicatus habebant, & ad vitiosa emendanda, sed etiam ad supplenda, quae deerant, & ad nova luce totam artem analyticam illustrandam, ne quem amplius a scriptis illis obscuritas rejiceret. Non vulgavit tamen quae summo cum labore litteris mandaverat, ex quo intelligi potest fuisse doctrinae, quam famae cupidiorem. Quod distribui tres in partes philosophia solet, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores, has omnes sic excolendas suscepit Sarpius, ut certiora illis, quae tradebantur in scholis, proferret, aut saltem minus vel obscuritatis, vel erroris haberent. Diligentissime inquirens in se, atque se se ipse observans, aureolum sane libellum confecit, quo omnem illam doctrinam complexus est, qua magistra & duce, recte judicare de iis possumus, quae sunt a sensu tradita atque impressa. Omnia quidem corpora sensus movent, sensusque moventia quomodo ideas, opinionesque creent, genera, species forment, quomodo ex iis ratio-

cinatio nascatur, quae sint errorum caussae & remedia, quae veri, quae rerum notae, pluribus exponit. Innuerat quidem Plato ea, quae sentimus, non esse in ipsis corporibus, sed mentis sensu accipi, partemque esse animi, quae sensum, quaeque motum habet. Sed haec aliaque hujusmodi multa ita dilatavit Sarpius, ut eo pervenisse videatur, quo multis annis post, magnisque meditationibus progressus est Lokius (*) quo certe nemo melius docuit quae sensus & mentem pellant, quae sint veri & falsi notae, quaeque errores creent. Postulabatur ab eo, ut quae magis admirabatur, probabatque in Platone ipso ejusqué discipulo Aristotele, suis luminibus illustraret, quod & fecit; nihil tamen hujusmodi vul-

---

(*) *Inscripsit librum*: del nascere delle opinioni, e del cessare che fanno in noi. *Hujus libri, quem* Artem recte cogitandi *jure appellare potuisset, analysin fecit Marcus Foscarinius in* historia Litteraturae Venetae Lib. III. nota 254.

gavit, qua de re questi omnes ii sunt, qui in veterum philosophorum dogmatibus exponendis elaborabant (*). Imitatus Plutarchum scripsit de sanandis animi vitiis, deque tranquillitate comparanda, & quia bellum est sua vitia noscere, minime occultavit, quibus ipse inficeretur, quidque gereret, ut appetitus rationi obedirent, eamque neque ptaecurrerent propter temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignaviam desererent, omnique animi perturbatione carerent. Extat etiam libellus, qui inscribitur, *pensieri civili, e politici*, qui totus conscriptus est manu ejus amanuensis Marci Fanzani, & de quo ambigi videtur, num ex officina Sarpii prodierit. Continet is utilissima praecepta ad vitam sapienter degendam, ad bene noscendas, moderandasque

(*) Utinam, *ait Morhoſius in Polyhistore*, edita illa fuissent, quae Paullus Sarpius doctissimus vir non tantum in Platonem, sed & in Aristotelem, ceterarumque sectarum fragmenta scripsit.

Digitized by Google

animi cupiditates, & illas praesertim vehementes honoris, divitiarum atque imperii, satisque constat per totum sexennium in nullo studio libentius elaborasse, quam in morum scientia. Hujus quidem praeceptis egebat, ut resistere posset multorum invidiae, quam ex eo fortasse habuit, quod cornicum oculos, ut dicitur, configere conabatur. Vel ex eo tempore, quo, expleto procurationis familiae munere, Venetias redierat, & quotidie esse consueverat non cum nobilissimis modo civitatis, sed & cum omnibus iis, qui illuc quaerentes adjumenta doctrinae adventabant, in suspicionem venit senioribus collegis suis se cum haereticis habere commercium, ab iisque multa mutuari, cum ignarus nollet esse legum, haesitans in majorum institutis, rudis in jure civili & Ecclesiastico, iis praesertim temporibus, quibus omnium aures ad disputationem patebant, de concordia, ut ajunt, Sacerdotii & Imperii, deque legibus, quae in comitiis Cleri Gallicani anno MDCLXXXII. latae fuerunt, ad sartam & tectam regiam dignitatem potestatemque servandam. Ad

haec exquirenda non tam scientiae cupiditate movebatur, quam officio, cum Leonardus Maurocenus Cenetae Episcopus illo in omni Pontificio jure uti magistro voluisset. Erant & e suis, qui tantum illi concedebant, ut, cum judicium ferendum esset de scriptis Ludovici Molinae hominis e Societate Jesu, qui a Dominicanis praesertim accusabatur Pelagianorum & Semipelagianorum dogmata renovasse, in eo quod pertinet ad Dei Gratiam, & haec res ceteros inter a Summo Pontifice Clemente VIII. mandata fuisset Hippolyto Massarinio Servitae Montis Pelosi Episcopo, hic ex ejus sententia capiendum sibi esse consilium putaverit. Quae de hac controversia scripto, quod extat, mandavit Sarpius, declarant illa quidem summam illius in rebus theologicis peritiam; breviter, dilucide, solide enucleat SS. Patrum, ac praesertim Augustini sententias, iisque adhaeret, errorum caussas & originem patefacit, opinionum varietates enumerat, quibus positis, quid sequatur, distinguit & judicat; judicat etiam de omni alia re, quae ab iis religiosis viris

praeter Molinae sententias in disputationem vocabatur, non quaerens rationes eas, quae ex conjectura pendent, quae huc, & illuc trahuntur, sed quae adhibent persuadendi necessitatem. Hujusmodi disputationes, quamquam uberrimos fontes virtutis, & scientiae continere viderentur, verebatur tamen Sarpius, ne tantum afferrent negotii hominibus, ut non quaererent quid virtus possit efficere, sed quid constanter dicatur; & vehementer sane interfuisset Christianae Reipublicae, nullam in hujusmodi caussa dissensionem esse, retenta religione, nihil nos sine Dei Gratia, non dicam boni agere, sed ne cogitare quidem posse; illam postulandam sperandamque a Dei ipsius bonitate, nec quaerendum quomodo agat, ut viri boni esse possimus. Sed haec conditio est theologorum, ut secum optime actum esse putent, si in divinis scrutandis mysteriis operam atque tempus consumant. Ab his studiis saepe se referebat Sarpius ad physica, particeps, & quasi socius inventorum, quibus Aquapendens, & Galilejus se ipsos, & Patavinum Lyceum, in quo doce-

bant, illustrabant. Mentionem quidem illius fecit Galilejus, cum primum anno MDCIX. (sunt enim magnorum inventorum tempora notanda) telescopium a se fabricatum, Senatui Veneto obtulit; & debitum illius doctrinae virtutique testimonium tribuit, cum de condensatione, dilatatione, rarefactione & elasticitate, ut physici loquuntur, aeris, de ascensu liquidorum corporum in antliis, de planetarum, ac praesertim Saturni & Veneris motibus, de proportionis circino, tum cum Balthasar Capra hujus inventi gloriam sibi eripere conabatur, aliisque hujusmodi rebus physicis, astronomicis & geometricis dissereret(*). Ad tanti viri amicitiam sibi

(*) *Vide Galileii opera Vol. II. p. 544. 558.*, *& recenter editam Galileii ipsius epistolam in libello, qui inscribitur*: Monumenti Veneziani di varia Letteratura per la prima volta pubblicati nell' ingresso di S. E. Messer Alvise Pisani alla dignità di Procuratore di S. Marco : Venezia 1796. *Satis quidem constat ex Galileii testimonio Sarpium fuisse doctissimum physicis*,

conciliandam non modo invitavit singularis, quam de illius doctrina habebat, opinio, sed etiam spes allevandi per eum sollicitudines, quibus urgebatur a veteris philosophiae sectatoribus, & importunissimis collegis suis. Hos facilius quidem tulisset, nisi gloriosum suscepisset munus deducendi homines ex miserabili ignoratione veri, in qua per tot saecula jacuerant, & in maximis tenebris erroris & inscitiae clarissimum lumen geometriae & experientiae praeferendi. Quia nullum ad hanc rem juvandam magis idoneum noverat Sarpio, non cum illo modo omnia consilia sua communicabat, verum etiam ex eodem saepe quaerebat quid sentiret de iis rebus, quae a natura maxime involutae esse videbantur, &

---

astronomicis & mathematicis disciplinis; addunt alii in architectura quoque militari, in naturali historia, in chemya, in omni re optica & mechanica fuisse instructissimum, & per se quoque construxisse machinas ad easdem illas facultates pertinentes, ac novas invenisse.

ad eas conjuncta opera patefaciendas invitabat. Quanquam vero Sarpius satis otii haberet ad has, aliasque disciplinas excolendas, speravit tamen posse se iis liberius vacare, si vinculis familiae exsolveretur. Molestissimae enim illi erant querelae, quae inter suos exortae fuerant, quarumque sedandarum caussa Romam an. MDXCVII. remigravit. Petiit itaque a Veneto Senatu, ut per eum Summo Pontifici commendaretur obtinendi gratia Caprulae primum, mox Aenonae, quae sunt urbes in Dalmatia, episcopatum. Non potuit hoc fieri diligentius, ut non solum ei praeconium tributum, sed etiam gravissimum testimonium impertitum innocentissimi hominis, magnique esse videretur (*). Nihilo tamen minus Pontifex ne-

(*) Essendo mancato di vita il Rev. Vescovo di Nona è venuto a noi il R. P. M. Paolo da Venezia dell' Ordine de' Servi, supplicandone fare uffizio, perchè egli ottenga questo Vescovato: onde essendo egli stimatissimo in questa città, per tutta l' Italia, e conosciuto da mol-

gavit illi honorem, quia penitus insederat in animo illius suspicio, esse Sarpio cum haereticis societatem, ut nullo modo evel-

---

ti illustrissimi Cardinali, essendo stato Procurator Generale del suo Ordine, ed in appresso di conosciuta bontà ed esemplarissima vita, le quali due condizioni sono anche conosciute e stimate da S. S. medesima, la quale cogli Ambasciatori nostri ha parlato con sommo honore della di lui persona; perciò vi commettiamo che dobbiate far efficace uffizio con sua Beatitudine, rammemorandole le rare qualità d' esso Padre, il quale non per altro cerca di questo carico, che per potere attendere più quietamente alli suoi studj, libero dal peso de' carichi della sua Religione. Ed essendo la cosa così debole, siamo certi, che vi sarà molto facile l' ottenerla, massimamente per soggetto così prestante e meritevole di molta maggior ricognizione. E lo stesso uffizio farete parimente cogl' Illustrissimi Cardinali Nipoti per nome nostro. E le stesse lettere saranno anche scritte all' Ambasciator Vendramino successore.

1601. 17. Aprile.

Digitized by Google

li potuerit. Hanc repulsam compensavit postea Senatus ipse, cum sibi adesse Sarpium in consiliis capiendis de rebus sacris & religiosis honorificentissimo decreto jussisset, assignata illi annua mercede ducentorum ducatorum. Porro egebat Respublica illis temporibus strenuo defensore, cum turbulentissimas tempestates sustinere debuisset. Binas ipsa leges promulgaverat, vel potius jamdiu latas renovaverat, amplificaveratque, quarum altera vetabat augeri bona, fortunas, possessionesque eorum collegiorum, quae nunquam mori dicuntur, altera non licere statuebat novas Ecclesias, asceteria, monasteria, nosocomia fundare, novasque religiosas familias admittere sine Principis venia. Qui tum tenebat Catholicae Ecclesiae clavum Paullus V., non bene is quidem in Venetos animatus, illas abrogari leges, quibus magnopere laedi Ecclesiasticam immunitatem ajebat, voluisset, minas, ni paruissent, jactans. Cupiebant ii quidem animum illius mollire, eaque propter legatos ad ipsum extra ordinem miserunt, Leonardum primum

Donatum, ac postea Petrum Duodum: fruſtra. Nam ineunte anno MDCVI. Reipublicae Princeps litteras a Pontifice accepit, quibus dirae obnunciabantur, si eae leges stetiſſent. Tum juſſus est Sarpius acta Senatus defendere, ac ſcripto eas rationes mandare, quibus probaret aequas eas leges eſſe, civili societati utiles non modo, ſed etiam neceſſarias, nec Pontificiae potestati contrarias, quippe laicorum bona reſpiciebant, minimeque tolli eas poſſe, niſi ſummum auxilium majeſtatis atque imperii e Republica tolleretur. Haec maxima cum offenſione accepit Pontifex, cumque rem detuliſſet ad Cardinalium collegium, cunctis ſuffragiis XV. Kal. Maii MDCVI. ſententiam pronunciavit, qua Venetis, populiſque illorum ditionis ſacris interdictum est. Principio mens fuit appellare futurum Concilium, datumque negotium Sarpio ea exponendi, quae hoc conſilium juvare poterant, ad quod & ipſa Reſpublica confugerat in iis acerbiſſimis moleſtiis ac ſollicitudinibus, quas a Sixto IV. & Julio II. habuerat. Ea propter neceſſe illi fuit conquirere argumen-

ta omnia, quibus confici putabatur, aucto-ritatis pondere superiora esse Concilia Romanis Pontificibus, neque his adeo rerum arbitrium a Deo datum fuisse, ut nil ceteris, nisi obsequii gloria relictum esse videatur. Visum est postea Senatui aliis armis defendere caussam suam. Nam datis litteris ad sacrorum Antistites (*), bono eos animo esse jussit, manere in officio, ac suadere populis sibi subjectis, ne perterrerentur Pontificis diris, quae, minime servatis judiciorum formulis, contemptaque aequitatis regula, ad quam quasi de caelo delapsam omnia judicia dirigi debent, nullius erant roboris, cum lege praescriptum sit, quae injusta & vitiosa, irrita infectaque sunto. Pro suo munere minime tum siluit Sarpius, caussam Senatus sustinuit genere scripturae, quod non modo liberum, sed incitatum atque vehemens fuit. Ma-

(*) Vide has in Cod. Diplomatico Lunigi Tom. II. Sect. VI. Part. 35. 36. pag. 2015. 2018.

xime autem omnium flagrasse amore patriae apparet ex eo scripto, quo probandum suscepit, jus esse Principibus exigere tributa & subsidia ab iis, qui bona Ecclesiae possidebant, qua de re quoque Veneti a Pontifice, qui id potestatis suae esse contendebant, insimulabantur. Cum res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex monumentis litterarum, & omnium saeculorum historia repetere instituisset, tanta eruditionis & argumentorum copia opus suum ornavit, ut quivis facile intelligere queat, si Reipublicae necessitas, vel utilitas requirat, id fieri posse a rectoribus suo jure, nec Romani Pontificis beneficio illos indigere. Illa quoque potiora judicata sunt, quae exaravit ad confutandum libellum quemdam Scipionis Gobellutii, quem jussu Pontificis emiserat, ut illius judicii, quo sacra Venetis interdixit, rationem redderet, aliudque scriptum anonymum, quod Mediolani, opera creditur Jesuitarum, vulgatum fuerat, perfidiosum, insidiosum, fallax. Commissum fuit Jo. Baptistae Leoni, qui scribendi Latine elegantia commendabatur,

quique Commendono Cardinali ab epistolis fuerat, ut illam priorem confutationem Latinam in linguam converteret, quod cum minus feliciter successisset, Sarpius totum opus retexuit, nec suo modo, sed & sex aliorum theologorum nomine illud vulgavit. Erat in his Fulgentius Micantius Brixiensis ex eadem Servorum B. M. V. familia, quem non modo studiorum honestissimorum, sed & naturae similitudo mirum in modum cum Sarpio conjunxerat, ut nulla unquam conjunctior amicitia fuisse videatur. Hunc socium laborum reliqua tota vita, hunc successorem muneris, quod a Republica obtinuerat, habuit, hujus fidei omnia scripta sua & existimationem moriens commendavit. Hi minime dubitabant, quin ea vera essent, quae defendebant, gratulabanturque sibi, quod summi viri in hanc disputationem intervenissent, partes suscipientes Reipublicae, atque in iis Jacobus Lescasserius, Nicolaus Veignerus, Ludovicus Servinus, Henricus Arniseus, & Isaacus Casaubonus. Nec minus summi Reges inclinabant ad praesidium ferendum Reipublicae,

pos-

postquam Pontifex adversus eam moverat Hispanos, clamabatque, nisi publice satisfactum esset, & bellum indici atque inferri oportere. Armis interea prudentiae dimicabat Sarpius. utque pondus adderet sententiis suis auctoritate hominis vitae innocentia, studio in rem catholicam, & doctrina spectatissimi, vulgare deliberavit opus a se Latine & Italice factum Joannis Gersonis de sacrorum interdictione, quo nihil erat caussae huic accommodatius. Id ut rescitum Romae, mandavit Pontifex Bellarminio Cardinali, ut illud opus una cum libro Sarpii, cui titulus *Trattato dell' Interdetto*, confutaret, quo factum, ut Sarpius ipse se fungi officio justo & debito putaverit, cum, edita Apologia quadam, interpositam Gersonis auctoritatem contra invidiam sustinuisset, ne vera laus huic detracta sua oratione videretur. Non propterea siluit Bellarminius, & cum eo in scenam quoque prodiere Caesar Baronius, & Ascanius Columna Cardinales (*), quorum scriptis gra-

(*) *His titulis eorum scripta vulgata fuerunt*. Cic.

viter respondit Sarpius, quasi nihil fuisset, de quo queri Romanus Pontifex jure potuisset, quod illi potestatem summam dedisset Deus decernendi de rebus sacris & religiosis, minime vero de bonis, quae in aliena sunt ditione, quare bene & sapienter factum videri a Veneto Senatu, quod modum praescripsisset Ecclesiae patrimoniis, judicavissetque ex horum fructibus parari quoque sibi subsidia posse, quoties Reipublicae necessitas cogeret. In eo vero, quod pertinebat ad sacrorum interdictum, usus est initio, & quasi fundamento hujus quaestionis canone illo Gelasii Pontificis: *si injusta est sententia, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum, & ejus Ecclesiam neminem*

---

saris Baronii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Parenesis ad Rempublicam Venetam: Florentiae apud Franciscum Tecium 1606. Ascanii S. R. E. Cardinalis Episcopi Praenestini sententia contra Reipublicae Venetae Episcopos S. S. D. D. N. Pauli V. Interdicto non obtemperantes.

gravare debet iniqua sententia. Ita ergo & ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum. His aliisque scriptis (non enim necesse arbitror singula commemorare) ita convaluit Reipublicae caussa, ut quae in uno cive ad resistitendum imbecilla fore videbatur, adversarii maluissent non tantas inesse in eo vires, vix ut tam valenti resistere potuissent. Quod cum respiceret Senatus, novis beneficiis operam Sarpii remunerandam putavit (*). Omnia

C 2

(*) *His verbis decretum fecit IV. Kal. Octobris an.* 1606. Continuando il R. P. M. Paolo da Venezia dell' Ordine de' Serviti a prestare alla Signoria Nostra con singolar valore quell' ottimo servigio, ch' è ben conosciuto, potendosi dire, ch' egli fra tutti con le sue scritture piene di profonda dottrina sostenti con validissimi fondamenti le potentissime e validissime ragioni nella causa, che ha di presente la Repubblica colla Corte di Roma, anteponendo il servigio e la soddisfazione nostra a qualsivoglia suo particolare ed importante rispetto. E' perciò cosa

tum illum premebant odia Pontificiorum, qui coeperant jam disseminare ac spargere,

---

giusta e ragionevole, e degna dell' ordinaria munificenza di questo Consiglio il dargli modo con che possa assicurare la sua vita da ogni pericolo che gli potesse soprastare, e sovvenire insieme ai suoi bisogni, benchè egli non ne faccia alcuna istanza, ma piuttosto si mostri alieno da qualsivoglia ricognizione che si abbia intenzione di usargli: tal' è la sua modestia, e così grande il desiderio che ha di far conoscere, che nessuna pretensione di premio, ma la sola divozione sua verso la Repubblica, e la giustizia della causa lo muovono ad adoperarsi con tanto studio, e con tante fatiche alli servizj nostri. Perciò anderà parte, che allo stipendio, il quale a' 28. del mese di Gennajo passato fu assegnato al sopraddetto R. P. M. Paolo da Venezia di Ducati 200. all' anno, ne sieno accresciuti altri 200. sicchè in avvenire abbia Ducati 400. acciocchè restando consolato per questa spontanea benigna pubblica dimostrazione, con maggior ardore abbia a continuare nel suo buono e devoto servizio, e possa con tale assegnamento provvedere maggiormente alla sicurezza della sua vita.

alterum illum fore Lutherum ac Calvinum, & omnia, quae gerebat & ſcribebat, eo ſpectare, ut Venetorum Reſpublica laxaretur religionis vinculis, quae erant firmiſſima ſuae libertatis fundamenta. Neque hic conſtitere eorum machinationes. Citatur enim Sarpius nomine Quaeſitorum Fidei, & cum eo illius ſtudiorum ſocius, & diſcriminum comes Macantius, & Preſbyter quidam nomine Jo. Marſilius Neapolitanus, qui pro Republica quaedam exaraverat, adeſſe Romae, ſuorumque dictorum, ac factorum rationem reddere. Minime hoc ſivit Senatus, quod valuit ad exacerbandum magis magisque Pontificis animum, qui ſane nihil non egit, ut Venetis periculum armorum ab Hiſpanis conflaretur. Ex hoc factum, ut ii multa terra marique comparaverint ad bellum ſuſtinendum, cum in ipſis ſatis animi conſtantiaeque eſſet ad permanendum in propoſito ſuſceptoque conſilio latas leges conſervandi, imperiique majeſtatem retinendi. Cum Galliae autem rege, qui in iſtam pacificationem ſe interpoſuerat, ſic agebant, ut perſpiceret ſe cupere pacem, ſed non

minus velle, ut sarta & tecta essent jura imperantis, & gratias egerunt Britanniae Regi, qui per Legatum suum Henricum Wottonium armorum auxilia iis obtulerat. Vel ipse Caesar, Sabaudiae Dux, aliique Principes de concordia concilianda adlaborare videbantur, inter quae, ineunte anno MDCVII. Venetias 'e Gallia venit Giojosa Cardinalis, qui ut facilius, quod Regis sui Henrici IV. nomine petebat, obtineret, nihil se detracturum de juribus & commodis Reipublicae palam declaravit. Erant in vinculis bini Sacerdotes, quibus ut emitterentur, frustra semper petierat Pontifex, cujus haec erat querela, non puniendorum criminum, sed usurpandi juris caussa factum id fuisse. Quanquam ii multorum scelerum rei convicti essent, concessi tamen fuerunt postulationibus Cardinalis, quo peracto, ipse ad Curiam venit, nuncians Senatui sublatum a civitate interdictum, reconciliatamque gratiae Romani Pontificis illam fuisse. Princeps Reipublicae, qui tum erat Leonardus Donatus, sedens cum purpura, & sceptro, & illis regiis insignibus, Cardinali

tradidit tabulam, in qua relatum erat, quod adversus Pontificis sententiam decreverat Senatus (*). Digna quidem laude, & gratulatione res multis visa est, quod nullum periculum tantum putavit Respublica, quod subterfugere maluisset, quam quidquam facere a Principis dignitate alienum, cumque maximas, ut debuit, Galliae Regi gratias egisset, quod, nullo postulante, perhonorificum sibi duxisset praesidium suum, & fidem, & diligentiam polliceri, ac re praestare, numquam se discessuram spopondit a majorum consuetudine, qui in benevolentia & opibus Gallorum Regum maximam semper spem collocarunt. Dedit quoque Sarpio singulares voluntatis significationes, quod per eum regia jura omnibus patefacta, confirmatique animi fuerunt ad jussa & scita summi Magistratus comprobanda. Quod quidem ita praestitit, ut sententiarum sua-

(*) *Vide haec apud Lunigum Cod. Diplom.* T. II. Sect. VI. Art. 37. pag. 219.

Google

rum doctiſsimos habuerit auctores, ut quae copioſiſſime dici potuiſſent, breviter a ſe strictimque dicerentur, ut argumenta non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam & judicio diſponeret, ut verba dura atque aſpera vel in repellendis injuriis minime proferret, &, ut paucis dicam, ea eſſet oratio, quae neque jure redargui, nec facile convinci potuiſſet. Idem & pacis auctor fuit (*), nec praecipere unquam ceſſavit, hoc praeſertim a Deo aſſignatum Principibus omnibus fuiſſe munus, ut conſervarent, tuerentur atque defenderent Ec-

(*) *Teſtatur hoc Boccalinius his verbis ad Sarpium ipſum ſcribens*: Dio ſia lodato: tutti ſono stati ingannati nella propria opinione, eſſendoſi V. P. veramente affaticata colla forza de' ſuoi conſigli a torre dallo Stato Veneto tutte quelle oſcuriſſime nebbie, che il Demonio vi andava ſuſcitando in queſte occaſioni di diſcordie, e collocarvi in ſuo luogo la luce di una buona ed ottima pace tanto neceſſaria tra la Sede Apoſtolica, e la Repubblica.

clesiam, & excubarent vigilarentque, ne quid ipsa vel hominum nocentium malitia, vel temporum inquitate detrimenti caperet. Haec commemorare necesse fuit, ne quis in errorem rapiatur, ut multi sane, & vel ipse summus vir Benignus Bossuetius (*) rapti fuerunt ab iis, quae a Gilberto Burnetio in vita Bedellii, qui erat a sacris Wottonii Britannorum Regis ad Venetos legati, de Sarpio narrantur. Haec si vera essent, omnis turpitudo, quae a petulantia, a libidine novandi res, abducendique animos hominum ab iis, quae sunt divinitus tradita, & more institutoque majorum confirmata, inusta Sarpii vitae fuisset, sed perspicuum in iis esse mendacium (nisi me fallo) multis argumentis judicari potest.

(*) Defensio Declarationis Cleri Gallicani Tom. I. P. II. lib. 8 c. 2. *Adde* Histoire des Variations liv. VII. Sous un froc (*ait ipse*) il cachoit un coeur Calviniste, & il travalloit sourdement a décréditer la Messe, qu' il disoit tous le jours.

Lex est lata an. MDLII., quae vetat optimates, omnesque eos, quibus commissa sunt Reipublicae munera, non dicam societatem, sed & sermonem habere cum iis, qui exterorum Principum negotia gerunt, nec sane videtur credibile Sarpium, qui erat a consiliis Senatus, cui tanta fides habebatur, ut secretiora Reipublicae tabularia ipsius Senatus decreto, sane honorificentissimo, ei paterent, conjunctum adeo fuisse cum homine, qui erat assecla Britannici Legati, ut cum eo omnia communia habuerit, eique interiores animi sui sensus aperuerit. Si hoc fecisset, sane se ipsum funditus perdidisset. Extant etiam ipsius litterae ad Lescasserium, ex quibus cognoscitur, quam recti fuerint ejus sensus, quam religiosa consilia, quando Jacobus Angliae Rex contendebat a Venetis, ut sequerentur formulam quamdam juramenti, quam subjectis sibi catholicis praescripserat, comprobarentque *Apologiam* (sic liber inscribitur) *pro juramento fidelitatis adversus duo Brevia P. Pauli V. & epistolam Cardinalis Bellarmini ad G. Blackvellum Archipresbyterum nu-*

per scriptam, quae, quod essent catholicis dogmatibus minime consentanea, ab illis se abhorrere dixit. *Utinam*, in haec verba scribebat, *Rex regia tantum tractasset, & a Theologicis abstinuisset: prudenter illum fecisse arbitror, quia forte rebus suis ita conducebat, & cum suis subditis ita tractandum erat. Verum pro rebus nostris aliter agendum est. Coelum terrae miscere nolumus, nec humana divinis: Sacramenta, & religiosa omnia suis locis manere volumus. Principibus tantum potestatem suam asserere per divinas Scripturas, & Patrum doctrinas licet*. Hoc studium quale esse debeat, non facile ex disputantium contentione intelligi potest. Est enim omnium rerum modus quidam, quique ad summum pervenire volunt, facile boni rectique fines transiliunt. In quo si aliquando, sapientioribus improbantibus, peccavit Sarpius, non propterea in haereticorum gregem rejiciendus is erit, praesertim cum obscurum minime sit, nihil ex ejus dictis factisque elici posse, quod hoc impudentissimae calumniae genus vel minimum comprobet. Ipse anteoccupa-

vit, quod sibi opponi posse putavit, cum consultus a Senatu, num obtemperandum esset voluntati Romani Pontificis, qui eripienda ex hominum manibus scripta omnia contendebat, quae pro Republica in illa, de qua diximus, controversia emissa fuerant, confidentissime respondit, nihil in iis inesse, de quo a theologo catholico in divinorum librorum, SS. Patrum operum, & historiae monumentorum lectione exercitato ratio reddi non posset. Ea propter sibi putavit interesse argumentorum sedes, & tanquam domicilia commonstrare, & ea breviter illustrare, explicans quibus terminis Deus ipse circumscripserit jura Ecclesiae, & imperiorum rectorum, quae horum officia, quid aequum & legitimum, quid non, quid concessum, quid usurpatum, quid sit ex veteri, quid ex novo more, ex quibus omnibus conficit, judicia Reipublicae fuisse justa & legitima, ac propterea laude & imitatione digna quae gesserat ad depellenda pericula, in quae ab interdicto vocata fuerat. Enumerat etiam quot injuriosa imperantibus, eorum securitati, & populorum

tranquillitati contraria effutiverint adversarii, qui dum Romano Pontifici placere volebant, non modo ei assentationem, sed etiam mendacium suum accommodabant, cum omnia regna, omniaque bona ejus potestati subjicerent, suasque disputationes a religiosis ad civiles res transferrent. Demum cum ea, quae in multis scriptis erant dispersa, ratione & distributione sub uno adspectu posuisset, tantum animi addidit Senatui universo, ut quidvis maluisset, quam de suo jure quidquam remittere, & palam improbare, quae fecerat. Tum vero Sarpius ratus est se non solum praesentibus, sed etiam futuris temporibus consulere posse, si opus magnum scribendum suscepisset, quo omnem Pontificii, regii, & publici juris materiem complecteretur, cujus rei caussa ex annalium monumentis, & ex Reipublicae commentariis conquisivit quidquid non solum ad usum civilem & politicum, sed etiam ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustria prodenda exempla conducere posse videbatur. Hujus operis nihil aliud ad nos pervenit nisi sylva quaedam, quae

Rubricae Paullianae nomine appellatur, quaeque in Senatus tabulario diligentissime asservatur, quod in omni arte bene gerendae Reipublicae utilissima praecepta, omnibusque temporibus accommodatissima contineat. Nec sua modo, sed & nominatim sapientiorum monita, magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit. Quaecunque autem ipse litteris mandabat, multis erant suspecta, nec deerant, qui palam dictitarent, illo vivo, Catholicam religionem diu stare non posse in Venetorum Republica. Fertur etiam admonitum illum fuisse a Caspare Scioppio, paullo antequam is pelleretur Venetiis, & a Trajano Boccalinio, qui tum erat in illa urbe, strui insidias ipsius vitae, sed sua fretus conscientia has voces contempsit. Accidit autem III. Non. Octobris an. MDCVII. ut, cum domum ad vesperum rediret, comitantibus eum Alexandro Malpiero, viro Patricio, aetate ac moribus spectatissimo, & Marino, religioso homine, qui ei famulatum praebebat, circumventus fuerit a quinque sicariis, qui ei plura inflixere vulnera

in vultu & in scapulis, ex quibus stratus est hami. Aufugerunt ii, quod exanguem ac mortuum concidisse arbitrabantur, qua re commotus est adeo Senatus; ut nulla non moestitiae & indignationis signa dederit. Mandavit ipse Aquapendenti, Spigelio, aliisque medicinae & chirurgiae Magistris, ut aegroto, perinde ac si salus Reipublicae in illius vita posita esset, omnem opem afferrent. Ferrum in os penetraverat, & in eo haeserat, quod vix sanari posse vulnus videbatur. Convaluit tamen, eumdem semper vultum, eamdemque frontem in diuturna aegrotatione prae se ferens, usque eo, ut aliorum querelas de tanta crudelitate compesceret. Quaerenti tantummodo Aquapendenti, undenam tantum facinus? respondisse cum risu ferunt: *omnes quidem colliteatur stylo Romanae Curiae factum fuisse*. Non sine praemio fuit curatio, quam adhibuit Aquapendens. Nam praeter dona pecuniae S. Marci Eques creatus fuit. Gratus vero Sarpius in Deum, cui unice tribuebat, quod tanto periculo liberatus fuisset, eo in sacello, in quo quotidie Sacrum

operabatur, votum vovit cum hac inscriptione: *Deo Filio Liberatori*, & ad Principem, quem post Deum colebat, litteras dedit testes gratissimi animi sui pro singulari ejus de salute sua studio, proque recentibus beneficiis (*). Duplicavit enim, quod ei persolvebatur stipendium, & locum, ubi tuto habitare posset, in ipso palatio destinavit, quod tamen recusavit, sperans mitiores in posterum in se fore suos adversarios. Ecce interea novae controversiae in-

---

(*) *Hoc est exemplum litterarum*. Serenissimo Principe. Le beneficenze de' Principi verso i suoi Servitori per lo più superano i meriti di chi le riceve, e sono superiori alle loro speranze, ma la munificenza di Vostra Serenità verso di me è stata superiore a tutto quello, che ho saputo desiderare. Io non ho aspirato più oltre che ad essere onorato col titolo di Servitore della Serenità Vostra, ed ella non solo mi ha conceduta questa grazia, ma in appresso vi ha aggiunto moltissimi doni & aumenti

inter Pontificem, & Rempublicam. Contendebat is, qui eligebantur, Venetiarum Patriarchas Romam accedere debere, non solum ut consecrarentur, sed etiam ut peri-

---

ancora due volte in poco tempo, e finalmente per cumulo si è compiaciuta di condiscender a credere, ch' io vivo contento delle grazie fattemi; del qual favore reputandolo io il maggiore che potessi ricevere al presente, ne rendo con tutto lo spirito quelle riverenti & affettuose grazie che posso. Doveranno esser queste un testimonio al mondo di quello, che è verissimo, cioè che servo per mio debito, con religione e coscienza, e non per alcuna mondana speranza. Ma quanto si aspetta alle lodi, colle quali gli è piaciuto onorare la mia umilissima servitù, non riconoscendo in me alcuna buona qualità che le meriti, le ricevo per avvertimento di quello che dovrei essere, e per ammonizione di quanto dovrò fare; laonde cercherò di formarmi secondo il modello esposto dalla Serenità Vostra in forma di lodi per riuscire Servitore non inutile a questa Repubblica, ed all' EE. VV. &c.

culum doctrinae facerent coram Pontifice ipso, & Cardinalium Collegio. Illud prius concessum est, non autem alterum, cum scripto probasset Sarpius, vel ab antiquissimis temporibus, quorum memoria non extat, habuisse Rempublicam in illud sacerdotium jus, ut ajunt, patronatus, nec consentaneum huic juri videri, ut electus alterius judicio probaretur. Eodem tempore quaesitum a Sarpio fuit, num in iis judiciis, quae de sacris criminum reis personis a Decemvirum collegio ferebantur, intervenire debuisset Patriarchae ipsius Vicarius. Probavit autem in eo, quod pertinet ad civiles res, criminumque vindicationem, subjici etiam militantes Ecclesiae summo Magistratui, qui personam Principis gerit, non aeque inferioribus, docuitque vel a temporibus Justiniani Caesaris hanc potestatem minime exercuisse Antistites, quae si postea iis concessa fuit, non inde confici posse suis legitimis juribus adeo orbatos Principes fuisse, quin iis uti possent, quoties Reipublicae utilitas & securitas id postulare videatur. Confirmat id ipsum exemplis ex

Venetae historiae monumentis depromptis, quae sic in promtu habebat, ut nihil inveniri posset, quod illi esset incognitum. Dimicavit quoque pro imperio & potestate Principis, cum in eo unice residere jus contendisset approbandi, vel reprobandi, quod typis committitur. In his quotidianis, assiduis & publicis occupationibus vix satis otii reperiebat ad sua vetera studia recolenda, cumque id ab eo multi peterent, quoniam ex Reipublicae caussa gloriosam victoriam consecutus fuerat, ne gravaretur historiam conscribere illarum rerum omnium, quae acciderant Pontificii interdicti ergo tia, minime recusavit hoc quoque onus in se suscipere. Totum opus septem in libros divisit, quibus & appendicem addidit ad eum finem, ut omnes cognoscerent sic compositam fuisse controversiam, ut non praeteritam culpam redemisse videretur Respublica, sed optimae mentis cogitata enunciare. Vulgatum opus fuit anno MDCXXI. ab Antonio Pellegrinio Genevae multos post annos, quam illud exaraverat Sarpius, magnoque plausu ab iis exceptum fuit, qui re-

giae potestatis vindices se esse gloriabantur. In quo si multum Reipublicae provisum fuisse judicarunt, non satis quidem rationibus suis consuluisse videtur Sarpius, cum non defuerint, qui calamitatem & necem illi iterum sint machinati. Detecti ii fuerunt antequam quidquam aggredi potuerint. Excubabant enim magistratus pro salute hominis, perinde ac si ea saluti publicae conjuncta esset, ac prudens ei consilium dederunt, ne quemquam ad se admitteret, cujus fides, & benevolentia multis signis sibi cognita antea non esset. Itaque, qui eum noscendi caussa Venetias adventabant (& multi sane fuere) aegre huic desiderio satisfacere potuerunt. Sed recessus & solitudo erant ei laboris stimuli, & postquam multa jam separatim exaraverat de sacerdotiorum nominatione caussa controversiarum, quas habuerat Respublica cum Romano Pontifice, rem hanc ita tractandam suscepit, ut eorum ortum a fonte repeteret, Ecclesiae & Principum leges, instituta & jura explicaret, remedia proponeret, ne quis iis, quae ad hominum miserorum sa-

lutem destinata fuerant, ad quaestum & libidinem abuteretur, eaque demum omnia exponeret, quae eorum natura videatur adsciscere, & reprobare, ut custodiat in optimo hujus generis statu, quod propositum quasi finem eorumdem sacerdotiorum institutores habuerunt. His declaratis, facile erat videre multa sibi praeteritis temporibus arrogasse Romanos Pontifices, & Episcopos, quae ferenda non esse contendit. Non tantum sibi tribuit, quin doctissimorum quoque Jurisconsultorum, ac praesertim Jacobi Lescasserii judicia exquireret, omninoque aureolum libellum confecit, qui superare videtur bibliothecas eorum, qui multis voluminibus haec ipsa tractarunt. Profecto errant Albertus Fabricius, & Richardus Simeon, qui illum tribuendum contendunt Fulgentio Micantio, quod manu scriptus codex a Thevenotio in Galliam delatus, hujus nomen prae se ferebat, quodque in eo mentio fit Urbani VIII., quem constat summum Pontificatum consecutum fuisse, postquam Sarpius e vivis excesserat. Aequior Amelotius, qui hoc opus Gal-

Digitized by Google

licem in Linguam convertit, postquam Carolus Caſſa Latinum fecerat, illa addita fuisse vel ab amanuensibus, vel a typographis affirmat, nec sane habet autographum, quod cum ceteris Sarpii scriptis extat in Reipublicae secretiori tabulario. Neque minus dubitabis ex ejusdem officina prodiisse opusculum *de jure asylorum*, vel *de immunitate sacrorum locorum*, quamvis in Capitulis V. VII. & VIII. dictum sit a Mediolanensi homine fuisse exaratum. Adeo probatum illud fuit Hugoni Grotio, ut *magnum librum*, licet mole parvum (*) appellare minime dubitaverit. Septem in capita dividitur, quorum in primo Principum leges (atque horum potestatis praesertim fuisse videtur jus asylorum statuere ac moderari) & Ecclesiae constitutiones referuntur, in secundo variae scriptorum opiniones enumerantur, in tertio, quid de iis judicandum perpenditur, in quarto quae

(*) Lib. II. c. 21. de jure belli, & pacis.

sint loca asylorum propria, & quorum criminum rei frui iis possint in quinto declaratur, in sexto exponitur, quo jure, quaque auctoritate extrahi ii possint, qui sacrum in locum confugerint, demum in septimo, postquam jam abunde probaverat capitalium criminum reos jus asylorum obtinere non posse, neque obtinuisse vel eos, qui ad aram Templi Dei, & Principum statuas confugerant, diluit ea, quae contra objiciebantur, concluditque sententiam suam: *utinam vero eadem ratio usuveniret in sacris locis, ut scilicet innocentes tantum, & qui legitima aliqua excusatione uti possunt, protegerentur, scelesti vero non tantum ob perpetrata facinora plecterentur, sed multo magis ob temeritatem, quod ipsum Deum, & Sacrosanctas Ecclesias immania scelera protegere velle existimassent*. Quae ipse Italice scripsit, Latine referre libuit ex interpretatione Aurelii Frichelburgii, quae typis Elzevirianis Lugduni Batavorum an. MDCXXII. emissa fuit. Post id summa Senatus auctoritas, suumque perpetuum studium de illius dignitate & gloria facile obtinuerunt,

Digitized by Google

ut notas faceret res, quae pertinebant ad Fidei Quaesitores, vel ab eo tempore, quo Venetiis coeperant esse. Accidit id an. MCCLXXXIX. suasu Nicolai IV. Pontificis, summaque Reipublicae consensione, quae legibus quae essent gerenda praescripsit. Ex his autem infert Sarpius, decreta Innocentii IV. ejusque successorum locum nunquam habuisse in Venetorum ditione; ex horum, minime vero ex Romanorum Pontificum auctoritate suum exercuisse munus Quaesitores illos, atque id unum actum a Nicolao IV. ut praescripta Senatus comprobaret. Longum post tempus Albitius Cardinalis confutavit, non admodum quidem feliciter, Sarpii opus (*), non tam ut rem

(*) *Hunc habet titulum Sarpianum opus*: Trattato, o discorso intorno all'origine, forma, leggi, ed usi dell' Uffizio dell' Inquisizione nella Città, e Dominio di Venezia, *Albitianum vero*: Risposta alla Istoria della S. Inquisizione, composta da F. P. Servita, *sine loco, anno, & typographi nomine. Constat vero Romae impressum fuisse anno* 1687.

gratam faceret Pontificiis, quam Jesuitis, qui inimicissimo animo semper fuerant in Sarpium ipsum, cuique molestias exhibere, dum vixit, nunquam cessarunt, mortuumque omni maledictorum genere onerarunt. Maxime quoque convenire officio suo, reique publicae conducere putavit, parare ea, quae convincerent jus potestatemque habere Venetos imperandi Cenetae, hujusque agri populis, quod sibi vindicabant Tarvisii Episcopi, cum semper adjutores, & fautores habuissent Romanos Pontifices. Ea caussa fuit Sarpio conquirendi omnia, quae historia, & juris publici prudentia suppeditabat, repetens disputationem suam a Longobardis Regibus, qui Cenetae ipsius Episcopis principatum & dominatum dederunt. Hunc ut tuerentur in civilibus discordiis & bellis, quibus universa Forojuliensis Provincia diu & crudeliter vexata est, cum satis virium minime haberent, primum Portiorum, ac postea Caminesiorum familiis, ac in harum dissensionibus Venetis concesserunt, ut ab iis eripiendi nemini jus fuerit, quamvis bello Ligustico, Pannoni-

co, Austriaco & Carrariensi multas acceperint calamitates. Nunquam enim occasionem praetermiserunt amissa recuperandi; & in conventu Vormatiensi, & tum, cum Carolus V. Caesar pacem aut Venetiis, aut Bononiae, cum adesset Clemens VII. cum inimicis fecit, per eum confirmata fuit possessio, quam Comitatus Cenetae Veneti retinebant non solum donationis, verum etiam occupationis jure, postquam, victis Carrariensibus, tota Forojuliensi Provincia potiti sunt. Omnis ista prudentia atque doctrina juris populorum & Principum adeo propria erat Sarpii, ut, illo docente, judicem minime requisivisses. Eodem tempore perfecit, ut qui novari aliquid de Ferrariensium & Venetorum finibus volebant, intelligerent quae jura essent Reipublicae, utque haec in eorum possessione sine tumultu & armis, ad quae spectare res videbatur, permaneret. Confectis his rebus, ad existimationem imperii pertinere arbitratus est, comprimere eorum audaciam, qui contendebant somnia & fabulas esse, quae de constanti & perpetua libertate Venetiarum

vulgo tradebantur. Auctor *Squittinii* (sic enim liber inscribitur) fuisse putatur Alphonsus de Cueva Hispaniarum Regis ad Venetos ipsos Legatus, licet non defuerint, qui Gualdo, Pignoriae, Velserio, & vel Peireskio opus istud tribuerint. Ad hoc confutandum necesse fuit consulere veteres annalium scriptores, ac praesertim Dandolum, qui *innatam* fuisse Venetis libertatem affirmat, neque hoc modo fecit Sarpius ejus Chronica suis ponderibus perpendens, sed quidquid ex antiquis chartis colligi potuit, in rem suam seposuit. Opus tamen ad umbilicum minime perduxit, cum tanti rem hanc minime duxisset Senatus, ut in ea diu operam consumeret, quam majoris momenti negotiis destinaverat. Gratissimum illi quidem munus fuit Uscoccorum historiae, quam cum Minuccius Minuccius Episcopus Albae Maritimae ad annum usque MDCII. perduxisset, quod deerat Sarpius supplevit. Propositum ei maxime fuit exponere nullos unquam fuisse praedones tam nefarios, piratas tam barbaros, qui aeque ac illos mare Adriaticum, contra jus gentium, & pro-

prium Venetorum, qui illius se dominos esse jactabant, infestum habuerint, & aequum fuisse impetrare ab Austriae Archiduce, ut, repudiato eorum patrocinio, cum Republica consentiret de expellendis iisdem e sedibus, quas impune occupaverant. Sed haec consensio, quemadmodum paullo post demonstrabimus, minus fuit diuturna. Eodem tempore libellum exaravit *de immunitate Clericorum*, quem cum Dominicus Molinus Senator ad Lescasserium misisset, de hac re queri visus est Sarpius, quod illum, quamvis de eodem oleo & opera, quo cetera hujusmodi, exaratum, vulgari noluisset; non satis enim curae, & diligentiae in illum contulerat. Aggressus quoque est magnum opus *de potestate Principum*, cujus adumbratam formam in ejus scriptis videre licet. *Nonne id nobis agendum est* (scribebat aliquando) *ut materiem subtrahamus iniquitati eorum, qui nos accusare non cessant, & turbulenta, & temeraria, & periculosa disseminare, ut gratiam regum, & laudes eorum, qui a novandis rebus gloriam sperant, aucupemur?* Sed haec ipsa valebant ad tur-

bas et rixas concitandas, & cum omnia ad veritatem, quae saepe odium parit, exigere vellet, & libere pronuntiare quae sentiebat, facile incurrebat in reprehensiones malevolorum. Quis (exempli gratia) Pontificiarum rerum studiosus ferre potuisset quae scribens ad Casaubonum de Baronii Cardinalis Annalibus, postquam diu & multum censoria virgula eos examinaverat, pronuntiavit? Inquit enim: *Nulla pars est Annalium quae confutari non possit, solo adminiculo eorum, quae ab eodem Baronio proferuntur. Nullus est magni, vel parvi nominis historicus, quem non saepe commendet, & confutet. Mitto adulterina, & detorta testimonia, prolixitatem maxime fastidiosam, & judicia perversa, ac insulsa, quae nemo in historia ferre potest*. Turbulentissimae interea tempestates extitere, quae ruinam Reipublicae minitari videbantur. Bella terra marique ab Hispanis, Neapolitanis, Mediolanensibus & Germanis, molestiae ab Uscocchis, quos adversus eam illi ipsi armaverant, qui paullo ante de iis delendis consenserant, intestinae conjurationes, quas

Cueva fecerat, conſciis Oſſuna, & Toledo, quorum alter Neapoli, alter Mediolani res publicas adminiſtrabat, & undique ſcripta ad pervertendum jus, quod habere Veneti in Adriaticum mare contendebant. Hinc Sarpio ſeges & materies ſuae gloriae. Socio, & adjutore Servilio Treo, qui erat a conſiliis Reipublicae, pluribus egit *de Juriſdictione Reipublicae in Mare Adriaticum*, quam repetit ab origine ipſius Reipublicae, nec ullius beneficio illam obtinuiſſe docet; nonnulla addidit Uſcoccorum hiſtoriae; & hiſtoriam conſcripſit Venetae conjurationis, quae nunquam edita fuit, quamvis liber circumferatur cum hoc titulo, eidem falſo tributus. Servire voluit Sarpius veritati, elegantiae autem S. Realius, qui ſane multa narravit, cum Gallica lingua hanc ipſam hiſtoriam ſcripſiſſet, quae minime facta fuerunt. Sapienter autem egiſſe Reſpublica videtur, quae, ut tot fluctus a ſe averteret, foedus cum Batavis percuſſit, quod conſiliis & ſcriptis ſuis Sarpius comprobavit. Erant enim, qui non convenire Catholicae Reipublicae arbitrabantur ſocietatem cum

Haeretica jungere. Quaedam etiam exaravit de Patriarchatu Aquilejensi, ut patronatus in eum jura pro Republica sua defenderet adversus Austriae Dominos, qui illa negabant, ut sibi vindicarent. Infinitus essem si ea omnia commemorare vellem, quae docte, & laboriose conscripsit, ut sarta & tecta essent sui Principis jura (*), cui, & aequitati se servire, non autem sibi gloriabatur. Et re quidem vera si famae & fortunarum cupidus fuisset, multa, quae latent, aut quae amissa dolemus, edidisset;

(*) *Octo magnis voluminibus comprehenduntur scripta Sarpii, quae pertinent ad res publicas, de quibus jussu Principis judicium interposuit suum. Atque ex his, ut & ex ceteris ejus scriptis, factis, dictis, animo, atque vita argumenta sumi possunt, quae convincunt, Sarpium id semper spectasse, semperque voluisse, ut in omne tempus, & in omne factum valerent, quae, se consiliario, pro defensione suorum jurium Respublica gerebat, quod eo studiosius moliebatur, quo pauciores erat e catholicis scriptoribus, qui haec pro aequo & jure tractassent.*

minime ei mos fuisset occultandi nomen suum in iis, quae emittebat; non facile ceteris communicasset, quae inveniebat; neque recusasset liberalissimas conditiones, quae a magnis Regibus, & ab Jacobo praesertim I. Britanniae Rege ei oblatae fuerunt, si Italiam deseruisset, quod videre jam debebat, ubi invidia esset habitatura. Magnum profecto erat ubique ejus nomen, magna opinio doctrinae, ac praesertim apud Batavos, Scotos, Gallos atque Britannos. Ex Scotis unus mathematicarum scientia clarus, nomine Alexander Andersonius, cum anno MDCXV. litteras ad eum dedisset, ait satis se mirari non posse, quod in maximis occupationibus rerum publicarum in sinu matheseos conquiesceret, *implexos quantumvis nodos subtili mentis acie dissolveret, & tractatum de recognitione aequationum confecisset, quod avidissime expectabatur*. Illo ipso anno, cum Parisiis prodiissent Andersonii ipsius opera, hisce verbis inscripta; ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΑ *pro Zetetico Apolloniani Problematis, a se jam pridem edito in supplemento Apollonii redidivii, & ad angularium se-*

sectionum analiticem theoremata ΚΑΘΟΛΙΚΩΤΕΡΑ, *a Francisco Vietae Fontenensi primum excogitata, jam antea demonstrationibus confirmata opera & studio Alexandri Andersonii Scoti*, in haec scripta tot addidit de suo Sarpius, ut ex iis cognoscere possimus in multis lapsum fuisse Andersonium, expeditiori & tutiori via Vietae theoremata demonstrasse Sarpium, & in mathematicis rebus adeo se exercuisse, ut vere dictum a Galilejo videatur, nemini illum hoc doctrinae genere concedere. Attamen parvi adeo sua faciebat, ut nihil ad nos pervenerit *Tractatus de recognitione aequationum*, quem vel ab adolescentia exaraverat, cum a Ghetaldo accepisset ineditum ipsa hac de re Vietae opus, aliorumque scriptorum, quae tum mathesi, tum physicae illustrandae destinaverat. Et physicam quidem sic amabat, ut experimenta habendi nunquam finem fecerit, minime reverens, ne non convenire judicaretur suae aetati, suisque muneribus, rerum naturam inquirere, ejusque Auctoris sapientiam admirari, eos stultos appellans, quibus insuavis haec

inquisitio videbatur. Ex ipsa naturalium rerum contemplatione materiem sumpsit libelli, quo probavit humanae naturae eos repugnare, qui Deum esse, rebusque humanis ab eo sapientissime consuli negant. Haec litteris mandans fortasse ex se ipso quaerebat, sibi ne tantum, an aliis pararet? Ut sibi, admonebat limae taedium, editionis periculum, ac timor ne magis propriae laudi, quam communi utilitati servire videretur. Meminerat enim majore animo honestatis fructum in conscientia, quam in fama reponendum, sicque quod magnificum, referente alio, fuisset, ipso, qui gesserat, recensente, ferme evanescebat. Nec sane nosci posset, qui quantusque vir fuerit, cum relaxandi animi caussa metaphysica, physica, anatomica, mathematica & astronomica tractabat, nisi id multorum testimoniis comprobatum fuisset, & nisi ejus adversaria ad nos pervenissent. Sed jam tempus est, ut dicamus de opere, quod diu in manibus habuit, & per quod maxime celebritatem sermonis hominum consecutus esse videtur. Vel ab iis temporibus, quibus

Mantuae commorabatur, quemadmodum a nonnullis, uti supra docuimus, traditum est, scribere instituerat Tridentini Concilii historiam, & statim ac manus ad opus admovit, undique conquirenda sibi monumenta putavit, quibus infinitas quaestiones, quae in illo conventu agitatae fuerunt, studia eorum, qui suffragii ferundi caussa convenerant, artes, quibus sibi viam ad optata impetranda munierunt, ac decreta, quae pro re catholica tulerunt, bono in lumine collocaret tractae cujusdam, & fluentis orationis genus adhibens, quod maxime huic scriptioni convenire arbitrabatur. Interdum etiam interposuit conciones & hortationes, sed in his exornandis, non multum artis adhibuit, quia nihil esse in historia, pura & illustri brevitate dulcius judicabat. Omnino placere, & instruere volebat, quod obtinere se posse putavit, si nihil praetermitteretur, nihil redundaret, si, quibusdam positis, reliqua per se lector facile intelligeret, si conditio temporum, illa quidem miserrima ob exortas haereses, morum corruptelam, & inimicitiis incensas contentio-

nes, si status Reipublicae & imperantium variae voluntates noscerentur, & haec omnia sponte sua fluerent, ut non in alienum, sed in suum immigrasse locum viderentur. Vir sane doctus Mablius, qui de scribenda historia, deque historicis tum veteribus, tum recentioribus, severe ac libere de iis judicans, librum conscripsit, ait ordine, iisque, quas diximus, virtutibus Sarpii opus perfectum, expletumque omnibus suis numeris & partibus esse, ut non dubitet illud tanquam exemplar ad imitandum proponere. Prorsus contendit quae de scribenda historia praecepta tradidit Lucianus, & illud praesertim, ut loco dicatur, & modo, hoc est quemadmodum, & quo animo factum sit, quidque evenerit, eventurumque esset, ab eo servata fuisse. Perspicuum tamen est, quae in vituperationem transferri potuerunt ab eo studiose nimium quaesita fuisse, quamvis nonnulla ne inciderint quidem, aut ita tenuiter inciderint, ut non essent necessaria dictu. Ad id de decretis promulgatis ita loquitur, quasi nodum in scirpo quaerere illi unice proposi-

tum fuisset, neque omnino crederet illam concordiam & conspirationem Patrum propense ac divinitus fuisse factam ad malas consuetudines extirpandas, & ad sanctiora dogmata confirmanda. Neque ii sunt audiendi, qui in dubium revocant, num hujusce operis effector ille fuerit, quorum error multis argumentis convinci posset, nisi extaret codex, haud multis ab hinc annis forte fortuna detectus, manu Francisci Fanzani, quo amanuensi utebatur Sarpius, exaratus, cum additamentis & emendationibus quibusdam manu ipsius Sarpii scriptis, qui codex omni ex parte consonat, si titulum libri excipias, editioni, quae illius facta est Londini an. MDCXIX. a Joanne Billio Regio typographo. Non minus errant, qui hoc opus suscepisse Sarpium ajunt Paulliani interdicti caussa, ut per illud ulcisci posset illatas a Pontifice Reipublicae suae injurias, cum satis constare videatur plures annos antea ab illo susceptum fuisse. Non aeque compertum est qua ratione illud ad Britannos pervenerit, nisi dicere velimus infidelitate id factum Marci Antonii de Dominis,

qui eo tempore, quo erat Spalati Episcopus, exemplar hujus historiae, quam ei legendam dederat Sarpius, clam sibi comparaverat. Ausus postea libidines suas, quas fronte & supercilio, non pudore & temperantia contegerat, palam facere usque eo, ut nuntium remiserit catholicae religioni, nihil antiquius habuit, quam ut in vulgus ederetur illud opus, cui titulum & epistolam sane impudentissimam ad Jacobum I. Britanniae Regem praeposuit, quibus aperuit, qui essent de rebus catholicis, & quam alieni a veritate animi sui sensus. Vehementer id displicuit Sarpio, ut soleret saepe de eo cum familiaribus queri (*), haud

---

(*) *Ipso & rogante, has ad de Dominis litteras dedit Fulgentius Micantius.* Reverendissimo Signore. Io dò a V. S. Reverendiss. questo titolo, poichè sebbene si è messo nel numero de'Protestanti, però sempre le resta nell'anima il carattere Sacerdotale & Episcopale, di cui non temè voler ispogliarsene. Il mio P. Maestro Paolo molto si lagna di tal suo ec-

dubitans, quin sui inimici plures inde quaererent ansas ad se calumniandum. Praeter id erant in historia multa, quae fortasse senior factus improbabat, non quia se ne-

---

cesso, e moltissimo pure, che avendo a V. S. R. prestato da leggere il suo manoscritto dell' Istoria del Concilio Tridentino, che guardava con tanta gelosia, ne abbia tirata di essa una copia, e siasene poi abusato non solo facendola stampare senza il di lui beneplacito, ma ponendole anco quel titolo impropriissimo, e quella dedica terribile e scandalosa; e ciò, come siamo ben informati, per motivo d' interesse, non già di onorare l' Autore modesto. Le dico pertanto, Monsignore, che queste non sono le vie per acquistarsi credito, e che il P. M. Paolo ed io non la credevamo tale nemmeno nel momento che circa due anni fa venne intesa la diserzione sua dalla Chiesa di Spalatro da lei governata, e fu letto successivamente il Manifesto che sparse per l' Europa della sua condotta, ed erronea maniera di pensare. Pregando poi il Signore, che la illumini, mi dichiaro &c. Venezia 11. Novembre 1619.

F. Fulgenzio da Venezia.

glexisse praeceptum existimaret, ne quid falsi historicus audeat dicere, ne quid veri non audeat, sed quia ex narratis rebus saepe odiosa inferebat, quae probrum, atque labem bonis creabant. Ea propter de Dominis ipse dubitare se dixit, num Auctor probaturus esset consilium suum illius edendae, confirmavitque Sarpius dubitationem, cum nemini aperuisset, se opus istud excudisse. Qua de re interrogatus a Condei Principe, qui anno MDCXX. Venetiis erat, respondit, non ignorari Romae quis illius auctor esset. Et Romani quidem Pontificis multum intererat non solum hoc tenere, sed etiam invenire, qui eamdem historiam oppugnaret, quod omnium primus praestitit Philippus Quorlius, neque multo post Scipio Henricus Messanensis. Hic autem mutavit sententiam, & ex oppugnatore factus est propugnator, latens sub Caesaris Aquilinii nomine. Horum exemplum alii secuti sunt, sed omnes vicit Sfortia Pallavicinius, qui omnes latebras suspicionum, quas de Sarpio Pontificii habebant, oratione non modo eleganti, in qua non

difficile fuit superare adversarium, qui nunquam huic rei studuisse videtur, sed etiam gravissimis sententiis plena peragrare, eique odium creare sibi proposuit. Utrumque tamen si conferes, similia saepe narrare cognosces, sed dissimili partium studio cum caussas praesensionum, & decretorum ex narratis rebus eliciunt, & judicant de Romanorum Pontificum, & Principum consiliis. Ad id multa in lucem profert Pallavicinius, quae alii, & fortasse Sarpius ipse occultari voluisset. Dum uterque vero lectorem edocere laborat, qualis fuisset, & quis esset graviorum controversiarum status, doctrina, eruditione, & arte exponendi res reconditiores, impellendique quo vellet, & unde vellet deducendi judicia hominum, vincit Sarpius adeo aemulum suum, ut ab eo nil aliud desideres, nisi moderationem, & modestiam in insectandis & exagitandis, quae a Concilii dignitate, sanctitateque abhorrere illi videbantur. Tanto exceptum plausu opus fuit ab iis praesertim, qui in Romanos Pontifices non bene animati esse videbantur, ut illo titulo quem illi

apposuerat Auctor, anno post Genevae impressum fuerit (*), eodemque anno Latinam in linguam, & Britannicam conversum, ac postmodum in Germanicam, atque demum in Gallicam semel, iterumque, ac tertio. Dicitur etiam in animo habuisse opus contexere de Canonibus, & decretis Concilii Tridentini, & ex paucis, quae supersunt, hac de re ejus scriptis, conjici posse, ejusdem sententias ab iis minime discrepare, ut plerumque discrepabant ab iis interpretationibus, quas Romana Decuria huic rei destinata faciebat. Jam videbatur illa facultas judicandi de iis, quae fiunt more insti-

(*) *Hic est titulus operis*. Del Concilio Tridentino di Pietro Soave Polano, *quod est anagramma* di Paolo Sarpi Venetiano. *Titulus vero ab Antonio de Dominis confictus, hujusmodi fuit*. Istoria del Concilio Tridentino, nella quale si scuoprono gli artifizi della Corte di Roma, per impedire che nè la verità de dogmi si palesasse, nè la Reforma del Papato, e della Chiesa si trattasse, di Pietro Soave Polano.

tutoque majorum, esse in potestate Sarpii, quam ut sibi compararet incredibiles labores susceperat. Non secus vero ac si minus memoria posset, quae summa erat in eo, multa in adversaria referebat, quae magnorum operum designationes videri potuerunt, nec sane tempus invenisset ad illa conficienda, cum quotidie publicae res occupatissimum illum haberent. Ex eo colligere potes, quanta occupatione distineretur, quod supersunt adhuc septingentae & amplius allegationes, ut vocantur, quibus in omni controversiae genere aut suae Reipublicae jura defendit, aut saluberrima eidem consilia dedit. Nulla enim res major accidebat, de qua minime consuleretur. Nec sane poterat reperire ex omnibus rebus civilibus caussam, contentionemque majorem, quam de civitate, de libertate, de majestate principis, & ejus juribus, de ambitione contra leges, deque ordine, honestate, & dignitate conservanda; ad ejus autem efflagitandam sententiam non tam valebat opinio prudentiae, quam probitatis, cum, nec prece, nec pretio, nec gratia, nec si-

multate, a via recta deduci unquam potuerit. Futura quoque explorabat, ne se insinuarent cum ipsius Reipublicae detrimento. Ex quo factum est ut Jesuitae, qui e Venetorum ditione expulsi fuerant caussa Pontificii interdicti, nisi longum post tempus redire ad illam minime potuerint. Hinc multarum calumniarum fons atque origo, quibus vita, ac mors Sarpii lacerata fuit. Tanta libidinum turpitudo fuit, tam acerbum odium in illum, ut non defuerint, qui illi opus tribuerent, quod inscribitur *Arcana Papatus*, quodque qui legat, non solum impie, sed etiam indocte scriptum fuisse facile judicabit. De Romanis Pontificibus implevit quidem volumen, a S. Petro incipiens, & in Paullum usque V. desinens, cujus res gestas pluribus describit, multa, quod fortasse miraberis, in ejus laude ponens. Sunt & alia scripta, quae a Sarpio prodiisse falso asseritur, quorumque indicem infra subtexemus. Non deerant enim homines male in Christianam Rempublicam animati, qui, ut suis dictis auctoritatem conciliarent, nomine Sarpii abutebantur,

quasi ex ejus vita, ex ejusque scriptis in eas ipsas res, quas improbissime & faciebant, & proferebant, testimonia sumi potuissent. Porro quid in eo videri potuit, quod non esset ex sanctissimo more, & sanctissima disciplina? Omnia religiosi hominis officia diligentissime obibat, rem divinam quotidie faciebat, parce, continenter, sobrieque vivebat, gloriam minime appetebat, ac multis prodesse satagebat. Haec traducere, & convertere ad increpandam fallaciam hominis, in quo nihil erat simulatum, summae impudentiae esse mihi videtur. Nec sane frontis integumento ad occultanda tanta vitia, de quibus insimulabatur, tamdiu uti licuisset. Ipsa mors, quam christiane obivit, quaeque consentanea vitae fuit, omnem tollit simulationis suspicionem; magna enim tum esse solet conscientiae vis in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt, & poenam ante oculos habeant, qui peccarint. Ineunte vere an. MDCXXII. dum erat in Reipublicae tabulario, febri correptus fuit, quam initio contempsit; postea vero cum pluri-

Digitized by Google

mum infirmari vires sentiret, vitae finem sibi adesse divinavit. Nihilo tamen minus, quantum poterat, Reipublicae officia sua praestabat, multus erat in fundendis ad Deum precibus, tantumque aberat, ut ex eo, quo vinculis familiae adstrictus erat, laxari aliquid vellet, ut diligenter omnia illius instituta servaret. Quodam die cum destitutus viribus e curia domum rediisset, ita affatus est collegas suos. *Quoniam nihil praetermisi, quod ad vos solandos pertinere arbitratus sum, restat, ut quae officia vobis, dum potui, persolvi, eadem mihi tribuatis.* Ingravescebat quotidie morbus, utque audivit a medicis desperari de ejus curatione, benedixit Deo, inquiens, id sibi placere, quod ei libuisset, idque se curaturum unice, ut ejus auxilio, qui reliquae vitae erat actus, bene perageretur. In Ecclesiae Sacramentis suscipiendis illustria fidei, animi demissionis, pietatis in Deum atque spei exempla dedit, eratque ei quoddam quasi pabulum, consideratio, contemplatioque earum rerum, quas Christus Jesus passus fuerat, & cum per se legere non posset, ana-

gnoste utebatur. Extrema, quae pronunciavit, verba haec fuere: *esto perpetua*, quae omnes interpretati sunt, quasi votum nuncupasset Deo pro constanti felicitate ac prosperitate suae Reipublicae. Decessit autem, cum in Jesu cruci suffixi imaginem oculos conjiecisset, postridie Id. Januarii anno MDCXXIII. completo nondum primo atque septuagesimo aetatis anno. Nihil attinet dicere, quot signa benevolentiae aegro dederit Respublica, & quanta doloris, cum mortuum audivit. Marmoreum ei monumentum faciendum jussit, quod tamen praestitum minime fuit, cujus rei caussa facilius divinari, quam dici potuit. Diu in ore omnium fuit Sarpii nomen, & est adhuc; quique Venetias accedunt visendi caussa admiranda urbis, curiose inquirunt quae sua manu exaraverit scripta, quibus in locis habitare & commorari consueverit, & quo in loculo ejus cadaver conditum fuerit. Profecto si magnos viros doctrina, fama, constantia, animi magnitudine, patriae charitate, aliisque virtutibus metimur, perpaucos Sarpii pares, neminem superiorem in-

veniemus, quodque Veneti gloriam ejus magno sibi fore ornamento existimaverint, tantumque ipsi tribuerint, ut decus civitatis, & arcem imperii sui appellaverint, non illum solum honestasse, sed & immortalitate donasse arbitrabimur. Jam si formam corporis noscere cupis, mediocri fuit statura cum apta compositione membrorum, nigris oculis, & vividum ingenium prodentibus, suavi colore, densa barba, tantaque macritudine, ut vix credibile videretur potuisse illum omnem vitae suae cursum in labore corporis, atque in mentis contentione conficere. Juvit hoc summa ejus in victu temperantia (nam plerumque herbis & pomis vescebatur) & in non rectos impetus animi firma, atque constans dominatio, ex qua optimae mentis conscientia & tranquillitas existit.

OPERA EDITA

Trattato dell' Interdetto &c. Venezia 1606. appresso Roberto Majetti. *Amelotius, qui hoc opus Gallicam in linguam vertit, hoc titulo illud vulgavit*: Histoire du Gouvernement de Venise.

Considerazioni sopra le Censure di Paolo V. S. P. contro la SS. Repubblica di Venezia 1606. in 4. appresso Roberto Majetti. *Latinam in linguam conversum opus extat in* Monarchia *Goldasti*.

Trattato e resoluzione sopra la validità delle scomuniche di Giovanni Gersone. *Italice & Latine editus fuit liber iste Venetiis sine anno & nomine typographi*.

Apologia per le opposizioni fatte dall' Illustrissimo e Reverendissimo Sig. Cardinale Bellarmino alli trattati e risoluzioni di Gio. Gersone sopra la validità delle scomuniche del P. M. Paolo dell' Ordine de' Servi, Venezia 1606. presso Roberto Majetti.

Risposta del P. M. Paolo alla citazione di portarsi a Roma a render conto della sua fede. *Incipit*: Coram vobis: *edita Venetiis est* 1606.

Exceptio contra citationem per edictum Cardinalium Romanorum in causa Veneta. *Extat in Vol. II. operum Goldasti pag.* 481.

Istoria particolare delle cose passate tra il Sommo Pontefice Paolo V. e la Serenissima Repubblica di Venezia negli anni 1605. 1606. e 1607. di Paolo Sarpi, divisa in libri sette; Lione 1624. *Eodem anno haec historia edita iterum Genevae fuit, & in Latinam linguam conversa a Guillelmo Bedello Cantabrigiae an. 1626. Gallicam vero in linguam an. 1628. Amelotius ejusdem epitomen fecit, ediditque in libro, qui inscribitur*: Du Gouvernement de Venise.

Consulto del P. M. Paolo Sarpi circa le istanze fatte da Roma, perchè dalla Repubblica si dasse luogo alla proibizione e soppressione de' libri stampati a suo favore nella controversia. *Extat* in Vol. III. *operum Sarpii editorum Veronae*.

Istoria degli Uscocchi scritta da Minuccio Minucci Vescovo di Zara coi progressi di quella gente sino all' an. *1602*. Venezia 1606. = Aggiunta di F. Paolo a quest' istoria e sua continuazione fino all' anno *1613*. = Supplemento alla medesima. Venezia 1616.

Istoria del P. Paolo dell' Ordine de' Servi sopra i benefizj Ecclesiastici: in Colonia Alpina presso Pietro Albertino 1675. in 12. *Opus latine versum a Carolo Caffa cum hoc titulo*, de materiis beneficiariis, seu de beneficiis Ecclesiasticis, *prodiit Jenae* 1681. *Gallice Amstelodami*

1685. & 1713. cum notis Amelotii, Britannice, quo anno nescio.

Trattato sopra le immunità Ecclesiastiche, *quod opus Latinum factum ab Augerio Frichelburgio in lucem exiit Lugduni Batavorum ex officina Elzeviriana.*

Discorso dell'origine, forma, leggi ed uso dell' Ufizio dell' Inquisizione nella città e dominio di Venezia del P. Paolo dell' Ordine de' Servi, Teologo della Serenissima Repubblica 1639. in 4. *Eodem anno hic liber Venetiis impressus fuit; anno vero 1651. prodiit Roterodami cum hoc titulo*: Historia Inquisitionis P. Pauli Veneti, cui adjuncta est confessio Fidei, quam ex Italica lingua Latinam fecit Andreas Colvius.

De Jurisdictione Serenissimae Reipublicae Venetae in mare Adriaticum epistola Francisci de Ingenuis ad Vincentium Hollandum adversus Johannem Baptistam Valenzolam & Laurentium Motinum Romanum, qui jurisdictionem illam jampridem impugnare ausi sunt: Eleuteropolis 1619. *Crassus Latinum fecit opus, quod Sarpius Italicum exaraverat.*

Decreto sopra la controversia fra' Gesuiti e Domenicani intorno gli ajuti della divina Grazia. *Extat in volumine III. operum Sarpii Veronae editorum.*

Digitized by Google

Historia del Concilio Tridentino, nella quale si scuoprono gli artifizj della Corte Romana per impedire che nè la verità de' dogmi si palesasse, nè la riforma del Papato e della Chiesa si trattasse, di Pietro Soave Polano. Londra appresso Gioan Billio Regio Stampatore 1619. *Anno post cum edita haec historia fuisset Genevae, titulum, quem ei dederat Sarpius, prae se fert, videlicet*: Historia del Concilio Tridentino di Pietro Soave Polano. *Latine reddita Trinobanti an.* 1620. *prodiit, Britannice eodem anno, Gallice an.* 1683. 1685. 1738.

Epistolae tum Latine, tum Italice exaratae. *Extant in Volum. VI. editionis Veronensis operum Sarpii. Earum plures mutilae sunt, multisque commaculatae erroribus. Albertus Portenerus plures quoque Sarpii collegit epistolas ad Groslotium, ad Gillotium, atque unam ad Hermannum S. Medardi Abbatem, ediditque Genevae* 1656. *in* 12.

Opera Sarpio falso tributa.

Droits de Souvrains defendus contre les excomunications & les interdits des Papes: à l' Haye 1721. in 12. Vol. II. *Haec interpretatio dicitur libri, cujus est inscriptio*: Consolazione della mente causata dal buon metodo di vivere in Venezia nel preteso Interdetto di Paolo V.

svegliata da F. Paolo Servita Consultore di Stato.

Rsposta data da F. Paolo Servita a Paolo V. S. P. sopra l' Interdetto da esso fulminato contro la SS. Repubblica di Venezia.

Dominio del mare Adriatico, e sue ragioni pel Gius Belli della Serenissima Repubblica di Venezia, descritta da F. Paolo suo Consultore. *Quanquam huic scripto locus datus fuerit in operibus Sarpii, quae simul collecta in lucem prodierunt, talis tamen est dictio illius, ut plurimum distet a ceteris, quae hac de re exaravit.*

Epistola ad Danielem Heinsium *edita a Simeone Abbes Galbema inter epistolas virorum illustrium impressas anno 1665., quae data dicitur an. 1630. octo post annos, quam e vita decesserat Sarpius. Ad id continet illa sensus ab illius religione alienissimos.*

Sopra l' autorità della Nunziatura per la licenza de' Brevi provenienti da Roma: *mentio in illa fit cujusdam legis, quae promulgata fuit an. 1625. biennio & amplius post quam vitam amiserat Sarpius.*

Pauli Veneti Confessio Fidei.

Discorso intorno la credenza di F. Paolo.

Arcana Papatus.

Giunte ai primi dieci Capitoli del libro di Eduino

Sandis intitolato storia della Religione in Occidente.

Le Prince de F. Paolo, ou Conseils politiques adressés à la noblesse de Venise pour le P. Paul Sarpi. Berlin *1751*. in *12*.

Dialogo Latino in cui F. Paolo fa la parte d' Interlocutore con Antonio Quirini.

Risposta di Valerio Fulvio Savojano al libello intitolato : Avviso di Parnaso.

Quod ad scripta inedita Sarpii pertinet, eorum indicem invenies in libris, quae inscripta sunt; Memorie Anedote spettanti alla vita ed agli studj del sommo Filosofo e Giureconsulto F. Paolo Servita, raccolte ed ordinate da Francesco Griselini Veneziano: Losana 1760. & del Genio di F. Paolo Sarpi in ogni facoltà scientifica e nelle Dottrine ortodosse tendenti alla difesa dell'originario diritto de' Sovrani ne' loro respettivi dominj ad intento che colle leggi dell' ordine vi rifiorisca la pubblica prosperità: Venezia 1785. Vol. II. *Vide etiam Marci Foscareni* Della Letteratura Veneziana: Padova 1752.

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO FALCHIO PICCHINESIO

PISTORIENSIUM ANTISTITI

S. P. D.

Cum apud te diverſarer in iſto ſuburbano rure, cui ab igne nomen eſt, magna quidem voluptate affectus ſum, tum propter amicum, liberalem & vere hoſpitalem domini animum, tum propter loci amoenitatem, quem & ſylvarum opacitate, & ſalientium aquarum copia Muſarum domicilium facile dixeris. Cum vero a te admonerer in ſubjecta planitie Catilinam fortiter cum ſuis pugnantem morte poenas ſcelerum ſuorum patriae luiſſe, ipſas, quas habitabam, aedes hoſpitio Paulli III. Summi Pontificis Bononiam verſus iter facientis, Caroli V. Caeſaris, & Ferdinandi III. Magni Etruriae Ducis condecoratas

Digitized by Google

fuisse, cumque per me contemplarer, quae in porticu Alexander Caccia, quaeque in interioribus cubiculis Scipio Riccius Pistorienses Episcopi pingenda curaverant, quodammodo invitabar ad magnarum rerum historiam memoria repetendam. Non poteram vero non magnopere gratulari Antonio Puccio Cardinali, quod has aedes praesertim delegisset, ubi, dum praeerat Sacris Pistoriensibus, a curis conquiesceret, & in quas amplificandas exornandasque maximos sumptus impendisse videtur. At bone Deus, qui quantusque vir! Multorum enim testimoniis, ac praesertim Jacobi Sadoleti compertum habemus, ipsum ingenii, doctrinae, integritatis aliarumque virtutum laudibus claruisse, & effecisse, ut ea humanitas, ac liberalitas, qua utebatur erga omnes, bono praesertim esset litteris, quas vel inter armorum strepitus nunquam colere destitit. Neque minus Cacciam efferendum censeo, cujus pietate & religione, qua erga Deum ferebatur, nihil fuit illustrius, quique omnia sua cogitata, consilia, acta eo potissimum contulit, ut Sanctae Ecclesiae honos apud

omnes, & auctoritas magna haberetur. Ipse quoque non mediocriter fovit & amplexatus est homines litteris deditos, & quoties cum iis congregabatur in isto contubernali secessu, magnum aliquid moliebatur, quod ipsis litteris, & commissae sibi Ecclesiae fructuosum foret. Idem inscriptionibus, imaginibus Decessorum suorum vel sanctitate, vel prudentia in rebus gerendis maxime illustrium locum ipsum ornavit, ut se ipsum, ceterosque ad illorum facta praeclara recensenda atque imitanda excitaret. Fuisse autem consilium Riccii videtur, qui tot picturis expressit, quae ad Dominicanos & Jesuitas pertinebant, ut omnes intelligerent & piam & justam fuisse iracundiam suam in eos, quos minus recte, quibusdam probatis & defensis institutionibus, rei catholicae consuluisse ipse putabat. Abripimur quidem saepe partium studio, ut ea reprehendamus, quae alii rectissima putant, utque ea, quae pronuntiamus, sic accipi velimus, perinde ac si divinitus nobis tradita fuissent. Laudavi quidem semper moderationem tuam, qui ancipites de rebus religiosis disputatio-

nes, & vitiorum peccatorumque acrem cum amplificatione incusationem, aut querelam tibi vitandas esse judicasti, quique de virtute, de officio, de potestate Ecclesiae rectorum, de disciplina, quam a majoribus accepimus, de aequo & bono, similibusque de rebus vel ab eo tempore, quo jus Pontificium in hac nostra Academia publice docebas, ea tradidisti, de quibus sapientiores consenserant, quaeque in controversiam minime posse adduci videbantur. Malo quidem litterarum fato solent plerique contentionis, quam veritatis esse cupidiores, quare non possum non vehementer improbare eos, qui, multis editis voluminibus, digladiantur adhuc, rectius ne Sarpius, an Pallavicinius Concilii Tridentini historiam exaraverint, dumque pro dissimili partium studio eos vel injuriis, vel laudibus cumulant, nil quaerunt ex iis, quae non opinione, sed plane ad veritatem persuadere valeant, cuinam fides magis habenda sit, quaeque res sint, quarum monumenta certa in litteris extent. Nos quidem in eorum vitiis declarandis nihil his concedemus, & si aperue-

rimus quae ratio & mens utriusque fuerit, ut quivis facile judicare possit, utrum diffidendum, an confidendum sit, satis historici officio fecisse arbitrabimur. Id addemus unum, quae Sarpius non lege, non more, non aequo & bono fieri posse docuit, quamvis intelligatur quae sit scriptoris voluntas & expositio, non sic accipienda, perinde ac si ab homine natura malevolo, & maledico, & in rem catholicam pessime animato confecta fuissent. Quanquam enim nulla res sit, quam non suspicionibus quivis possit criminari, indignum tamen facinus esse arbitramur, ea trahere velle ad verisimilem suspicionem, quae nullo teste, nullaque conjectura comprobantur. Ea propter omnes illius vitae partes diligentissime perscrutati sumus, ut ne parvula quidem titubatione, aut offensione impediremur ad eos coarguendos, qui vel haereseos notam illi inurere minime dubitarunt. In quo si quid a me fortasse peccatum est, tuae erit humanitatis, & erga me benevolentiae bonam in partem accipere, atque errori meo veniam dare. Vale.

Pisis III. *Id. Februarii* MDCCXCVIII.

SFORTIA PALLAVICINIUS

CARDINALIS

De Sarpii gloria plurimum detraxisse videtur Sfortia Pallavicinius, de quo nunc dicere ingrediar, quia vir fuit sane cum paucis ingenio, doctrina, morum innocentia, & generis nobilitate comparandus. Is in lucem venit Romae IV. Kal. Decembris an. MDCVII. patre Alexandro, matre Francisca Sfortia Signiae Ducis filia, quam viduam reliquerat Ascanius Cornia. Caussa Alexandro a suis laribus (nam Pallaviciniorum familia clara & potens vel ab antiquissimis temporibus sedem Parmae habuerat) Romam concedendi haec fuit. Nam hic adoptatus a Sfortia Pallavicinio, cum, hoc mortuo, in multorum oppidorum possessionem venire

re deberet, privatus iis fuit ab Alexandro Farnesio Duce; quare Romani Pontificis praesidium imploravit, cujus in potestate esse videbatur de tota hac re cognoscere, statuere ac judicare. Institutus liberaliter Sfortia educatione doctrinaque puerili in Seminario, ut vocant, Romano, quod tum regebant Jesuitae, & in quo praeceptorem habuit virum sane emunctae naris Famianum Stradam, praeclara dedit pudoris & ingenii signa, nec tam sua sponte, quam cohortationibus Bandinii Cardinalis & Jo. Baptistae Rinuccinii, qui postea Firmanus Episcopus creatus est, hominum profecto omni virtute ornatissimorum, quibus mirum in modum charus erat, incredibili studio ferebatur ad omnem sapientiam concipiendam. Vix e pueritia excesserat, cum philosophiae laurea decoratus est, qui honor tributus quoque illi fuit, postquam sedulam operam dederat pontificio & civili juri in Romano Lyceo, & theologiae, qua in facultate institutus fuit a Jesuita Joanne de Lugo, de cujus doctrina tanta erat opinio hominum, ut eum Pontifex dignum purpu-

Digitized by Google

ra putaverit. Quae Pallavicinius publice per totos quinque dies de divinis rebus disputavit, libello complexus est, tantamque sui admirationem movit, ut carminibus quoque Joannis Ciampolii aliorumque Poetarum ejus laudes celebratae fuerint. Auxit & famam juvenilis aetas (nam tum minime compleverat vigesimum aetatis annum) ardor mentis ad gloriam, cupiditas vincendi adversarios, qui teste Paullo Segnierio (*) leonum more pugnabant, & querelae, quas in praefatione thesium de adversa fortuna fecit, quod saepe cura domesticarum rerum a litteris abstraheretur. Nihil vero erat quod ipsum abstraheret a comitatu amplissimorum hominum, & doctrina praestantium, qui cum solerent convenire apud Mauritium Cardinalem Sabaudum, & Paullum Mancinium, hos coetus ita frequentabat, ut in iis carmina, orationes & dissertationes re-

---

(*) *In epistola, qua nuncupavit Pallavicinio suas panegyricas orationes.*

citans saepe lumen ingenii sui ostenderit. Poesis dulcedine captus, nefas existimasset Musas invocare nisi ad canenda sacra & moralia argumenta, quia id solum laude dignum putabat, quod esset cum sanctitate & religione conjunctum. Per haec Summo Pontifici Urbano VIII. iisque omnibus, qui dignitate, gratia fortunisque excellebant, commendatus, clarius explendescebat, quam generosi juvenes aequo animo ferre possent, quo in numero fuit Fabius Chisius, quem consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo illi perpetuo fuerit carior. Grate hic fatebatur per Pallavicinium se innotuisse civitati & Principi, locum obtinuisse in Academia Humoristarum, in qua ipse principem locum tenebat, revocatum ad mansuetiores Musas fuisse, eumdemque in omni procuratione reipublicae auctorem auctoremque semper habuisse. Multis enim magnisque in rebus adhibitus fuit, adeoque ei favit fortuna, ut ad Pontificatum Maximum pervenerit. Utebatur quoque intime Joanne Ciampolio, qui iis temporibus principatum poesis tenebat, quique plurimum gratia apud Pon-

Digitized by Google

ſificem, cui erat ab epiſtolis, poterat. Sed repente homo, qui ſuperbum ſe praebuerat in fortuna, quam putavit ſuam fore, quique ad loquendi licentiam liber erat in ejus odium incurrit, uſque eo ut remotus ab aula fuerit. Quem praeſentem ſumma diligentia coluerat Sfortia, abſenti magna ſolatia & ſubſidia dedit, maximum exiſtimans quaeſtum memorem gratiamque cognoſci, ſimulque aperire ſe non fortunae, ſed hominibus ſolere eſſe amicum. Qua ex re cum videret minime ſibi dari facultatem pro dignitate Romae vivendi (minime enim erat dubium immutatam erge ſe eſſe voluntatem Pontificis, a quo paullo antea in collegia eorum Praeſulum adſcitus fuerat, quibus commiſſum eſt tueri immunitatem, ut ajunt, eccleſiaſticam, & videre ne quid populi Romanis Pontificibus ſubjecti in adminiſtratione rerum publicarum detrimenti capiant) Aeſis praeturam ſibi dari petiit, in qua gerenda effecit ſane, ut Pontifex erga ſe mitigaretur. Omnes enim de illius factis, conſiliis, meritis in rem publicam loquebantur. Pari modo praefuit Urbis Vete-

ris

ris & Camerini civibus, & quidquid illi dabatur otii libenter consumebat in contexendo epico poemate, quod inscripsit: *I Fasti Sacri*. Cum hoc perduxisset ad septimum usque, ut loquimur, cantum, de ipso edendo, nuncupandoque summo Pontifici cogitavit. Prout hic amabat mirum in modum poesim, quam ab adolescentia coluerat, gratissimum sibi fore munus respondit, & bini jam typis impressi erant libri, cum Sfortia novum consilium suscepit vale dicendi rebus humanis, abjiciendae poematis impressionis, ac Deo divinisque rebus se se unice dedicandi. Hoc consilium multi laudarunt, reprehenderunt alii, nihilque non egit illius pater, ut ab illo abstraheretur. Sed frustra. Quid de tota hac re senserit Janus Nicius Erythraeus multis editis scriptis clarus homo, ex ejus epistola ad Hugonem Ubaldinium intelligi potest, quam integram hoc in loco exscribere minime pigebit, quod per eam non solum praeconium, sed etiam grave testimonium impertitum virtuti Pallavicinii esse videatur. *Sfortia Pallavicinius singulari vir ingenio & ad*

omnia summa natus, quem ab honorum ambitionis aestu revocatum secundus Sancti Spiritus flatus in Societatis Jesu claustra, tanquam in aliquem portum abstraxit, propediem, ut audio, hic aderit. Atque equidem illa vis ingenii, illa probitas Societati illi jampridem debebatur, unde omnes fere bonas artes didicerat. Ac mihi saepe contigit mirari quid cum eo juris aulae esset, quem ab incerto ac lubrico honorum curriculo morum sanctitas, litterarum studia, ac natura ipsa prorsus abriperet. Itaque quid mirum si quem ea vi clam precario possederat, tanquam alienum, nec suum fere in postremis habuerit, vel saltem non iis eum praemiis decorarit, quibus interdum indignissimos afficit? Nam desperans posse sibi per possessionem quantumvis prolixam jus aliquod in eo contingere, quem nullo titulo possidebat, voluit ab omnibus suis donis nudum veris eum dominis usurpandum vindicandumque relinquere. Audio parentem filii sui consilium detestari, fortunas suas conqueri, clamare, vociferari, sibi unicum senectutis suae praesidium, domus ornamentum,

familiae universae columen eripi, sed laterem lavit, nam fixum & statutum est filio conata perficere. Quanto ille rectius parente! qui fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones aestimans ante se ab illis revocavit, quam aut hominum invidia, aut mortis impetu, aut alia vi in medio cursu frangerentur; In quo etiam nominis sui immortalitati consuluit: homo enim in litteris natus, educatus atque altus, quid in eo genere magnum praestare potuisset in occupatissima ambitiosorum hominum vita, in qua non multum, immo nihil fere otii relinquitur? Itaque illa vis ingenii, doctrinae, eruditionis brevi exaruisset, nomenque ipsius non sine magno reipublicae damno iisdem, quibus mortalis vita, finibus contineretur: nunc autem magnum sibi ad immortalitatem famae aditum aperuit, tantum otii adeptus, quantum nusquam sperare, nedum optare potuisset. Est igitur quod bonis litteris gaudeamus, quibus hominis eruditissimi scriptis tanta dignitatis accessio futura est, tibique etiam gratuler, qui optime de illis mereri

studes. Vale III. non. Octobris MDCXXXVI. Est etiam Pallavicinii epistola ad Barberinium Cardinalem, qua ei narrat omnem consiliorum suorum rationem, quorum ut approbator esset, magnopere ab illo petiit, cum hoc sibi unice propositum esset, ut remotus a publicis negotiis in otio ac tranquillitate Deo, suisque studiis vacaret. Quae vero pater ei proponebat, ut ipsum avocaret a proposito, spem honorum & fortunarum, domesticas lites, quae in ejus consiliis & gratia inniti videbantur, valetudinis imbecillitatem, ipsum alacriorem reddiderunt ad nomen dandum Societati Jesu, in qua se portum ac perfugium jactatae fortunae inventurum sperabat. Vix expleverat tyrocinium, cum jussus est publice philosophiam docere in Romano Collegio, nec mediocris prudentiae fuisse judicabimus, quod non ita secutus est Aristotelem, ut mos erat illorum temporum, quin aliquid quoque tribueret recentioribus philosophis, qui mathesin & experientiam in quaerenda rerum natura consulebant, inter quos primas Galilejo atque Borellio concedere vi-

debatur (*). Coactus nullis lacessere dictis Scholasticos, quibus refertae erant Jesuitarum scholae, quamvis universa re & tota sententia ab iis dissentiret, verecunde dubitanterque sua proponebat; dum vero disputabat de rebus ad morum scientiam per-

---

(*) *His verbis scribebat ad Rupertum Tarsensem Archiepiscopum*: Ambedue siamo Galileisti ad un modo, riputando assai il Galileo nella mattematica, e nelle esperienze e speculazioni sopra i moti, nelle quali materie Aristotele per difetto di esperimenti abbagliò più volte, benchè anche il Galileo non ne sia rimasto esente per confessione di que' medesimi, che in Fiorenza singolarmente lo pregiano. *Laudavit etiam Borellium scribens ad Leopoldum Mediceum, quod is astronomica experimenta mire cum vi ratiocinandi ab Aristotele tradita conjunxisset, illud & addens*: I più de' moderni o con pigrizia del senso si fanno ciechi schiavi dell' antichità peripatetica, o con pigrizia dell' intelletto perdono le relazioni del senso, come fine, e non come principio e materia del filosofare. *Lettere del Pallavicino*.

tinentibus, examinabatque praeceptorum omnium pondera, summam admirationem excitabat, quod dicebat non solum prudenter, sed etiam copiose & ornate. Auctoritatem autem faciebant non tam argumenta multa ad probandum firma, quam mores docentis: nam nec continentia, nec pietate, nec ullo genere virtutis quemquam ejusdem aetatis illi superiorem pono. Extat ejus opus de boni natura quatuor in libros divisum, editumque primum Romae an. MDCXLIV. ex quo intelligi potest quam bene juris naturalis leges atque instituta cognosceret, & quam recte de omni virtute judicaret. Secum vero divina bonitate actum esse praeclare dicebat, quod viveret cum hominibus, ex quibus exempla pudoris, innocentiae, sanctiorisque disciplinae petere poterat, quibuscum ut arctioribus vinculis conjungeretur, an. MDCXLI. quadriennio postquam in eorum societatem receptus fuerat, solemnia illa vota emisit, quae nisi post longum tempus, & post multa doctrinae experimenta emitti non solent. Nemini enim non erat exploratissimum qui quantusque vir esset Pallavicinius.

Quare minime est mirandum si biennio post locum occupaverit Jo. de Lugo, qui e theologiae schola, ut paullo supra innuimus, ad amplissimi sacerdotii collegium vocatus fuit. Magna expectatione Pallavicinius munus suum ingressus est, & cum afferret nihil, quod diu & multum antea minime meditatus esset, exigere quoque se posse a discipulis suis putabat, ut multum operae & laboris in discendo consumerent; nam qui stadium, ajebat, currit, eniti & contendere debet, quam maxime possit, ut vincat. Quantum autem ipse profecerit in volutandis diurna nocturnaque manu SS. Patrum scriptis, quantum tribuerit S. Thomae Aquinatis sententiis (nam Thomisticus esse & dici volebat) lucide apparet ex iis libris, qui inscribuntur: *Assertiones theologicae*, Romae editis an. MDCXLIX., in quibus coarctavit omne id, quod *de actibus humanis*, *de gratia*, *de fide*, *spe & charitate*, *de justitia & incarnatione* multis verbis exposuerat discipulis suis. Hos libros secuti sunt alii diversis temporibus editi, videlicet *de sacramentis*, *de virtute & sacramen-*

to Poenitentiae, *de Deo uno & trino*, *de ſubſtantia & proprietatibus Angelorum*, ac demum Volumen I. *Diſputationum in primam ſecundae S. Thomae*, quas inſtitutas diſputationes idcirco perſequi minime potuit, quod juſſu Praefectorum ſuorum aliis occupationibus implicatus fuit. Occurrendum erat malevolentiae Jeſuitae Julii Clementis Scoti, qui, editis libris *de poteſtate Pontificia in Societatem Jeſu*, & *de Monarchia Solipſorum*, non dubitavit odium ſuum inſigne facere in eos, quorum in Societatem adſcriptus fuerat. Talis autem ultor injuriarum fuit Pallavicinius, in lucem emiſſis an. MDCXLIX. *Vindicationibus Societatis Jeſu*, ut quem deducere a pravitate mentis non potuit, timere ſaltem coegerit, ne ſibi infamiae nota inureretur. Quare ut evomeret virus acerbitatis ſuae, omne maledictorum genus adverſus ipſum collegit eo in libro, quem cum hoc titulo vulgavit: *Julii Clementis Scoti Comitis Placentini in celeberrimo Gymnaſio Patavino extraordinariae philoſophiae Profeſſoris Paedia Peripatetica*, *qua omnis docendae ac diſcendae*

philoſophiae ratio Diſſertationibus octo exponitur. In his inter caetera paſſim hallucinationes a P. Sfortia Pallavicino in libro Vindicationum publicatae deteguntur, ac praeterea antiquiores Societatis Patres & inſignes Chriſtiani orbis Academiae ab ipſius injuriis aſſeruntur: Patavii 1653. *in* 8. Nihil haec commoverunt Pallavicinium, cujus, cum invitaretur ad repellendas injurias, praeclara vox fuit, ea, quae videntur acerba, quae multa & varia hominum iniquitate in vita fortunaque verſantur, ita ferenda, ut nunquam a dignitate ſapientis diſcedas; hoc robuſti animi eſſe, magnaeque conſtantiae (*). Non minori ſtudio officium

(*) *His verbis ſcripſit aliquando ad amicum*. Sono intorno a ſette anni, che un certo Apoſtata della Compagnia ſtampò contro di me un libro d' infinita maledicenza e calunnia. Un Padre principale de' noſtri corſe per moſtrarmelo havendo per certo, che io gli voleſſi riſponder toſto. Ricuſai di vederne eziandio la prima linea, e mi convenne in ciò litigar con

& pietatem suam praestitit Romano Pontifici Innocentio X., a quo cetera inter mandatum habuit perpendendi cum aliis Theologis, & septem usque Cardinalibus Cornelii Jansenii opus de divina gratia, in quo plures Galliae Episcopi esse multa affirmabant notatione atque animadversione dignissima. Credibile quidem est hominem Jesuitam censorium hoc judicium ita exercuisse, ut nodum in scirpo quaereret, nihilque praetermitteret, quod ad odium creandum Auctori conduceret. Qui noverant ejus acumen in confutandis vitiis & erroribus, atque in his praesertim Bernardinus Spada Cardinalis, auctores illi fuerunt, ut calamum sumeret adversus Italum scriptorem, cujus clamore infesto atque inimico excitati multi fuerant ad carpendos Romanos

---

tutti i miei Religiosi. L'effetto fu, che in capo a poche settimane la notizia di questo libro svanì, e l'Autore ne restò più scornato, che se io l'avessi fatto sopravvivere con qualche più nervosa apologia.

Pontifices. His profecto vulnera gravissima imposuerat Paullus Sarpius, vulgata Tridentini Concilii historia, quae sanare non mediocris negotii erat. Nihilo tamen minus Pallavicinius onus in se recepit novae exarandae historiae ejusdem Concilii, qua, certioribus allatis monumentis, probaret per calumniam malitiamque multa ab eo conficta fuisse. Rem hanc alii ante eum tentaverant, sed nihil perfecerant, & Jesuita Terentius Alciatus, qui hoc mandatum receperat ab Urbano VIII. deque illo exhauriendo dies ac noctes cogitabat, cum e vita discessisset an. MDCLI. vix tanti operis vestigia reliquisse videtur. Ejus scripta, &, quae collegerat, monumenta, cum in manus Pallavicinii pervenissent, aliqua ex parte ejus labores allevarunt, sed multo majora erant paranda, & ea ipsa, quae exorsa, & potius detexta, retexenda erant. Qui diligentissime munera sua obire consueverat, quique intelligebat haud suscipiendam historiam nisi praeparato otio, non prius operi manus admovit, quam negotium de condemnatione Jansenii, in quo primas ille te-

nuiſſe videtur, plane confectum fuerit. Poſt id nil curavit aliud, ſtimulos addente Chiſio veteri amico ſuo, qui Alexandri VII. nomine Catholicae Eccleſiae praeerat. Huic opus ipſum nuncupavit, cujus primum volumen an. MDCLVI. ſecundum autem anno poſt Romae typis Angeli Bernabò in vulgus emiſit. Tantis plauſibus, tanta approbatione bonorum, doctorumque hominum, qui non tam veritatem narratarum rerum, quam elegans & artis plenum, quemadmodum iis videbatur, orationis genus laudabant, exceptum fuit, ut ampliſſimis praemiis dignum illud putaverint. Sed haec homo modeſtiſſimus & religioſiſſimus contemnere didicerat, & dolenter queſtus eſt ereptam ſibi libertatem fuiſſe, poſtquam Novembri an. MDCLIX. audivit, ſe biennio & amplius antea creatum Cardinalem fuiſſe, quod tum Pontifex minime palam fecerat. Quia hic honos merito datus fuit, nullam habuit invidiam, magnaque fuit gloria Pontifici, apud quem tantum valebat auctoritate Pallavicinius, ut hujus conſiliis, teſtimoniis commendationibuſque imprimis me-

veri videretur. Locum ei statim dedit iis in Decuriis, quae *Concilii*, *Immunitatis Ecclesiasticae*, *Examinis Episcoporum*, *Visitationis Apostolicae*, & *S. Officii* dicuntur, nullamque rem magni momenti per se gerebat, quin Pallavicinii sententiam requireret. Ex quo fiebat, ut omnium oculi in eum maxime conjecti essent, omnesque maximo in lucro ponerent, si ejus gratiam benevolentiamque collegissent. Nihil ipse de pristina vitae consuetudine mutavit, solebatque per jocum dicere, unum se ex Cardinalis dignitate fructum cepisse, ut posset per hyemem ad caminum accedere, quod raró Jesuitis dabatur. Vita atque factis ostendebat id solum se putare bonum, quod rectum, & honestum, & cum virtute est, cetera vero, quae admirantur homines, tecta magnifica, lautam supellectilem, opes, dignitates, imperia vix in bonis habenda, quod etiam improbi habeant, & obsint probis. Quod officium justum, & pium, debitumque Christianae reipublicae, suaeque dignitati esse putabat, sic persolvebat, ut neminem illo diligentiorem in universo Car-

dinalium Collegio invenisses; gratus vero in Pontificem, a quo tot benevolentiae declarationes habuerat, non modo ei fidem singularem praestitit, sed etiam praeconium tribuit, cum omnem illius vitae cursum historiae monumentis commendasset. Hoc cum leges opus, cujus exemplaria plura manu scripta extant, fortasse judicabis, effuse nimis, ne dicam assentatorie, in ejus laudes excurrisse. Quanquam enim Alexandri VII. vita, praesertim dum privatus fuit, multis sit praeclarisque monumentis ad omnem memoriam commendata, nimia tamen in suos & in Jesuitas indulgentia interdum ea gessit, quae minime opinioni hominum responderunt. Adde, quae eximia plerisque & praeclara videbantur, saepe is parva ducebat, e contrario in minutissimis occupabatur, & dictorum promissorumque constantiam & veritatem negligebat. Amabat ipse litteras, & non mediocriter in iis vel a prima adolescentia se exercuerat, sed ipsarum fuit illa aetate quaedam quasi fortuna fatalis, ut ii tantummodo laudarentur, qui ornatius & inflatius dicerent, quam simplex ratio ve-

ritatis, & rerum natura ferat. Ipsi Pontifici fortasse gratum fecit Pallavicinius, quod suam Tridentini Concilii historiam calamistris quibusdam inusserit, quos mox improbavit, quanquam in ea permanserit opinione, ut extorquere posset arma e manibus irati scriptoris, qui id sibi unice proposuisse videbatur, ut odium crearet Romanis Pontificibus, hanc historiam ita a se ſuisse contexendam, ut variaret & distingueret quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. Nam objurgatio, non minus quam cohortatio & consolatio summa dicendi ornamenta desiderant. Sed cum primum animum ad scribendum appulit, omni ex genere orationem aucupans, & omnes undique flosculos carpens, nimium fortasse ostentare ingenium voluit, in quo non modo, sed etiam in collocatione, electione & compositione verborum multa se peccasse postea intellexit. Itaque se ipsum reprehendens nova quasi veste ornare opus suum aggressus est, neque hoc modo fecit, sed & exquisitas sententias & similitudines, quas ad rem explicandam idoneas putavit,

adjunxit, quaedam etiam latius exposuit, gravioribusque argumentis confirmavit. Non mediocris hoc laboris fuit, dumque studuit, ut non solum gravis, ut erudita, ut polita esset oratio, verum etiam conspersa quasi verborum sententiarumque floribus, non satis fortasse vidit, id non debere esse fusum aequabiliter, & arte nimia quaesitum, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quaedam insignia lumina. Neque id solum ei vitio dabis, sed etiam quod frequentibus transitionibus usus fuerit, ac saepe nimium ab eo, quod coeperat exponere, deerraverit; quod dum instruere & delectare voluit lectorem, fatigaverit; quodque minime vitaverit acerbitatem in reprehendendo vituperandoque adversario, quasi hic malevolentia pene innumera confixisset, & calumniando detorquendoque omnia suspecta & invisa effecisset. Dum vero consilia & acta Concilii exponit, non historici modo, sed etiam theologi partes interdum agit, ut probet ab eo nihil non lege, non ex sanctissimo more & disciplina, non ex aequo & bono, & pla-

ne

ne divinitus statutum fuisse. Efferatur autem licet studio omnia laudandi, aut excusandi Romanorum Pontificum consilia, Romanaeque Curiae consuetudines institutionesque, non occultavit tamen vitia temporum & morum, & ea, ut aliquid exempli caussa ponam, protulit de Paulo IV. ejusque fratris filiis, quibus idem nihil non indulsit, ut vehementer pupugerint hominem e Theatinorum familia, cujus Pontifex ille fuerat institutor atque alumnus. Eo audaciae is processit, ut, edito libello, falsi & calumniae insimulare Pallavicinium minime dubitaverit (*). Hanc a se propulsavit

(*) *Hujus est titulus*: Difesa del gloriosissimo Pontefice Paulo IV. dalle calunnie di un moderno scrittore, date in luce da Francesco Velli Napolitano. *Angelicus Aprosius Albintimilianus* (Visiera alzata num. XLIV. p. 54.) *Francisco Mariae Maggio tribuit hunc librum, ut & alterum, quo respondetur epistolae Pallavicinii ad Duratium.*

injuriam ad Jo. Lucam Duratium scribens, quam tamen epistolam minime vulgavit, ne quod erat insigne, insignius etiam faceret, & ne videretur alienis probris suam velle illustrare laudem. Adde, quod contentionibus minime abstrahi volebat a perpolienda, ac secundo edenda historia illa, quam si civitate donassent Florentini Academici, qui judicant de Etrusci sermonis elegantia, hoc se maximo in honore collocaturum ajebat (*). Cooptatus quidem

(*) *Testatur haec Octavius Falconerius in epistolis ad Laurentium Magalottum, quas nos edidimus inter epistolas Magolotti ipsius Vol. I. p.* 84. A questo proposito (*inquit ille*) io voglio accennarvi ora quello, che molte altre volte m'era venuto in pensiero di scrivervi, cioè, che, per quanto io stimo, tutto lo studio che il Cardinale da qualch'anno in quà ha fatto più che mai nella lingua Toscana, e forse tutto il fine, ch'egli ha avuto in venire alla seconda edizione della sua Storia in poco altro diversa dalla prima, fuorchè nella locuzione, è stata la speranza, che questa sua opera pos-

in illorum coetum fuit, datusque ei locus in tertia Etrusci lexici editione, quem probatissimi scriptores obtinent, cujus sententiae quasi poenituisset Academicos ipsos, eumdem a quarta ablegarunt. Jure, an injuria id fecerint minime disputabo. Illud contendam unice, defuerit licet Pallavicinio quidam urbanitatis color, & illa elegantia, quae facit ut unumquodque pure, aperte & apte dici videatur, quas virtutes tantopere in illius discipulo Paullo Segnerio admiramur, non facile tamen quem reperiri potuisse, cui plus studii fuerit in Etrusca lingua bene & polite scribenda, quare si id sibi sumpsit, ut ceteros erudiret in tam corruptrice aetate, in qua insulsitas & in-

---

sa esser citata nella nuova edizione, che si prepara del vocabolario, onde se il Sig. Principe volesse obbligarselo interamente, sarebbe un mezzo efficacissimo, perchè io conosco il suo genio, e l'umor peccante, che domina in lui: oggi ardisco dire, ch' ei stimerebbe quest' onore quanto il Cardinalato.

solentia, tanquam insania quaedam orationis non modo ferebatur, sed etiam extollebatur, arrogantiae crimen extimescere minime debuit. Vulgavit itaque anno MDCXLVI. librum cum hac inscriptione: *Considerazioni sopra l' arte dello stile e del Dialogo coll' occasione di esaminare questo problema; se alle materie scientifiche convenga qualche eleganza ed ornamento di stile, e quale*, quem librum postea iterum edidit cum additamentis quibusdam, & emendationibus. Caussam huic quaestioni dedisse videntur Joannes Picus Mirandulanus, & Hermolaus Barbarus Venetorum suae aetatis doctissimus, quorum alter a philosopho omnem elegantiam orationis respuendam, alter sic persequendam contendebat, ut non modo rerum pondere instrueret, sed etiam oblectatione quadam alliceret lectorem. Hujus sententiae prorsus favit Pallavicinius, praecepta utilissima dans ad omnem scriptionem formandam, omnemque rem quasi colore quodam suo ornandam. Sunt enim quaedam, quae dici postulant apte & perspicue, quaedam ornate, & quia lingua

nostra & natura rerum patitur veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum & Latinorum ad nostrum usum moremque transferri, eorum exemplis & praeceptis docuit, quid sit genus dicendi, quod vitio careat, quodque maxime teneat eos, qui audiunt, & quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. Multi cum legunt orationes bonas, aut poemata, probant eorum scriptores, neque intelligunt, qua re commoti probent, quod scire non possunt, ubi sit, nec quid sit, nec quo modo factum sit id, quod eos maxime delectet. At is, qui haec omnia intelligit, & utilia maxime eligit, redigitque in singulas rationes praeceptionis, necesse est, ut ejus rei bonus sit artifex, nec mediocre tempus & laborem consumpserit in hoc sibi comparando artificio. Quia vero fundamentum illius quaestionis, omnisque eloquentiae est pure & emendate scribere, non dubitavit grammaticum se profiteri, emisso an. MDCLXV. libello, cujus est titulus: *Avvertimenti grammaticali per chi scrive in lingua Italiana dati in luce dal P. Francesco Rainaldi del-*

la Compagnìa di Gesù, quem tanti fecit vir sane castigatissimi judicii Jacobus Facciolatus, ut de illo iterum edendo cum appendicula cogitaverit. Hac fortasse de caussa in suo nomine opus istud apparere minime voluit Sfortia. quod non satis dignum Cardinalis persona putabat in artificio quam tenui operam adhibere. Nos quidem ipsum laudamus, quod talem laborem non fugerit, cum videret esse multos, qui illa aetate inquinate & loquebantur & scribebant, quibus nisi reclamatum fuisset, Italicae litterae diu nimium in squallore jacuissent. At quamvis Pallavicinius is esset, qui vel ex poetis, vel ex oratoribus judicare potuisset concinnam, distinctam, ornatam, festivam, ac plane elegantem orationem, non sic tamen ei favit natura, ut in pangendis Italicis carminibus ad eos proxime accesserit, quos aemulari cupiebat. Fortasse is metuens, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdidit. Ex epicis poetis maxime admirabatur Torquatum Tassum, nihilque non egit, ut ejus poemati de Hierosolyma liberata Florentini Academici eam

tribuerent auctoritatem, quam elegantissimi scriptores ipsorum suffragiis habent. Dum vero laudabat ipsius Torrismundum (sic enim tragoediam inscripsit) non satis vidit haud ostentandam in hoc poematis genere, quamvis sermonem pedestrem recuset, numerose nimis sonantem orationem, quae familiarem minime imitetur. Id si novisset propter dissimilitudinem veritatis, haud contendisset adhibendos esse in tragoedia versus, quorum extrema verba similiter desinant, quod ipse fecit, scripta Hermenegild martyris tragoedia, ut satis faceret Seminarii Romani alumnis, qui ipsam Francisco Barberinio Cardinali nuncuparunt. Quamquam vel a prima adolescentia id sibi faciendum censuerat, ut cum Italicis Latina conjungeret, & par esset in utriusque orationis facultate, dolebat tamen se adeo abstractum fuisse ab exercitatione & consuetudine Latine scribendi, ut cum invitatus fuisset ab Alexandro VII. ad convertendam in Latinum suam Concilii Tridentini historiam, quod e re catholica esse putabatur, ut cunctis nationibus nota esset, id munus

satis eleganter se non posse praestare intellexerit. Quare operam imploravit primum Ignatii Bompianii, qui opus suum ad decimum usque sextum librum perduxit, mox Joannis Baptistae Jattinii Jesuitarum, cujus Latina interpretatio, non admodum quidem elegans, cuique a Richardo Simone multi objiciuntur errores, semel iterumque Antverpiae, postquam e vita jam cesserat Pallavicinius, neque multo post Coloniae typis impressa fuit. Neque eos audiendos putavit, qui ajebant graviter & severe oppugnandum Scotum, qui non cessabat de opere hoc, ut & de ceteris Pallavcinii scriptis omnibus impudentissime detrahere. Et is quidem librum ediderat Coloniae cum hac inscriptione: *Julii Clementis notae LXIV. morales censoriae historicae ad historiam Concilii Tridentini Sfortiae Pallavicini editae a Stanisluo Felice*, quo in libro multa adeo maledice contumelioseque dicta sunt, ut ea, quae erant prudentiae propria, vix appareant. Fuere & alii, qui se acres & acerbos judices praebuerunt hujus historiae, sed Pallavicinius in pro-

posito susceptoque consilio permansit sua minime defendendi, cum sibi conscius esset quam puris e fontibus illa hausisset (*).

(*) *Caesar Aquillinius, cujus supra mentionem fecimus, an.* 1662. *emisit Amstelodami opus* de tribus historicis Concilii Tridentini, *videlicet Scipionis Henricii, Sarpii & Palla cinii, in quo primas Sarpio tribuit. Jam si audis haereticos omnes, qui de Pallavicinii historia scripserunt, minime miraberis, tantum de hac detraxisse, quantum Sarpianam efferebant. Vide Praefationem Jo. Henrici Eideggerii ad impium & ineptissimum opus, quod inscribitur*: Tumulus Tridentini Concilii, *Seckendorffium in Lutheranismi historia, Hermannum Coringium in epistola apud Fabricium Tom. XI. Bibliothecae Graecae, Reimannum in Bibliotheca Theologica, Jo. Georgium Walchium in Bibliotheca Theologica Selecta, Amelotium in praefatione ad Historiam Sarpianam, quam praefationem in Latinum convertit Georgius Lairitius, vulgavitque an.* 1686. *cum titulo*: Petrus Suavis defensus, *ac demum (longum enim esset singulos commemorare) Jo. Jacobum Ottingerum, qui Tiguri an.* 1692. *librum emisit, cum inscriptione*: Sfortia Pallavicinus infelix Concilii Tridentini Vindex.

Fortasse intellexit, quod si mitius egisset cum adversario suo, neque in pejorem partem omnia illius dicta detorsisset, futurum ut reprehensores plurimos vitaret; sed ut ad urendum & secandum medici, sic ipse ad hoc castigandi genus venit, confidenter affirmans, in illis contentionibus, quae cum inimicissimis Romanae Ecclesiae fiunt, objurgationes incidere necessarias, in quibus utendum est sententiarum gravitate acriore, ne minus periti verba sibi dari facile patiantur. Fuit enim hoc semper proprium Pallavicinii in minimis suas res ponere, de Christiana republica vehementissime laborare. Huic & se servire putavit, cum adjuvisset Jo. Petrum Catalonium, qui sibi erat ab epistolis, virum, ut ipse ait, in quo erat ingenium, litteratura, & orationis elegantia, in compendifacienda ipsa historia, a qua epitome omne id removit, de quo cum adversario suo exquisitis rationibus, pluribusque verbis sibi disputandum putaverat. Narrantur res dilucide, nihil omittitur, quod sit quaedam quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei, nonnulla,

quae minus vere dicta fuerant, emendantur, & abest copia sententiarum, ac similitudinum, quae nimium, & ad satietatem usque in omnes partes historiae funduntur. Nihilo tamen minus hac ipsa copia gloriari videbatur Pallavicinius, & gratum acceptumque habuit munus Rainaldi Lucarinii Episcopi Civitatis Plebis, qui an. MDCLXII. librum emisit totum ex ejus sententiis contextum (*). Non sine caussa Pallavicinius

(*) *Cum librum hunc secundo cum additamentis editum an. 1663. mitteret ad Robertum, qui tum Augustae Taurinorum Pontificis legati munus sustinebat, eique gratias ageret, quod se Tacito ob sententiarum copiam comparaverat, ait*: Non ricuso già una lode attribuitami da lei, che le mie (sentenze) sieno forse più vere, avendo io cercato più tosto di ammaestrare, che di far maravigliare i Lettori, Al qual fine ho anco aggiunto di vestire spesso le sentenze con la ragione, il che non veggo fatto nè da Tacito, nè dagli altri. *Pallavicinii sententiae tertio ab Augustino Maria Taja Romae an. 1713. vulgatae fuerunt cum hoc titulo*: Massime ed

diligenter exquirebat, quid quisque loqueretur & sentiret, & qua de caussa sentiret de suo opere, nam, ut pictores, & ii, qui signa fabricantur, solent, ita a vulgo considerari illud ipsum volebat, ut siquid jure meritoque reprehensum esset, corrigeret; quodque aliorum judicio pauca quaedam & mutanda, & emendanda in illa epitome putavit, videtur jure optimo posse laudari, se nil tam curasse, quam ut veritati serviret. Nihil enim erat in eo nisi simplex, apertum & sincerum. Effictos mores ipsius, expres-

---

espressioni di civile ed ecclesiastica prudenza estratte dall' Istoria del Concilio di Trento scritta dal Cardinale Sforza Pallavicini. *Non facile quidem illa aetate reperisses, qui non in vitio poneret jejunitatem, & exilitatem orationis. quamvis politam, urbanam & elegantem. Elaborabant omnes in genere dicendi grandiore, & qui creber magis esset sententiarum frequentia, & novam quamdam rationem attulisset orationis, is non laudem modo, sed etiam admirationem consequebatur.*

samque imaginem ejus vitae quotidianae videre quis potest eo in libro, quem Caroli Thomasii suasu, quo nemo vir erat melior, nemo doctior, nemo pietate in Deum praestantior, scribendum suscepit, quoque de vitiis & virtutibus, de humanarum rerum contemptu, de vita sancte degenda disserens complexus est omnia perfecti Christiani officia. Jactabantur temporibus illis sententiae multae theologorum, quae ad enervandam vim divinarum institutionum, praeceptorumque moralis Christianae mirum in modum conducebant, quaeque *probabilis* nomine decorabantur, vel potius turpabantur. Nihil unquam his theologis concessit Pallavicinius, qui semper existimavit id sanctum, rectum & honestum esse, quod consonabat non corruptis temporum moribus, sed rationi vetustae disciplinae, quam a Christo, ab Apostolis, ab Ecclesiae Patribus & Rectoribus accepimus. Ab his salutis auctoribus, cum in tota vita nunquam ipse discessisset, quam praestantiam virtutis consecutus erat, impertire eam ceteris, & cum proximis communicare, edi-

Digitized by Google

to, quem supra diximus, libro, minime dubitavit. Fuit hic extremus laborum suorum fructus; nam qui imbecilla semper fuerat valetudine, gravioribus coepit tentari incommodis, sic ut mortem appropinquare sentiret. Hanc in sinu suorum Jesuitarum obire concupivit. Venit itaque ad domum, quae est in Quirinali ad S. Andreae, atque in ea, illustribus, ac prorsus singularibus editis pietatis exemplis, vitae cursum explevit non. Junii an. MDCLXVII. Cum ad eum morbo oppressum venisset Julius Rospiliosius Cardinalis, quocum magna ei erat amicitia jam inde a prima adolescentia, conclavia ad novum creandum Pontificem ingressurus (nam per illos dies Alexander VII. decesserat) huic summam dignitatem praedixit, ac rem Christianam, Jesuitasque suos mirum in modum commendavit. Hi autem, pro quorum dignitate & fama adeo laboraverat, ut non dubitaverit in odium multorum incurrere, quibusque omnia bona sua testamento legavit, ut gratum animum testarentur, in Aede, quam supra nominavimus, marmoreum ei monumentum posuerunt cum hac inscriptione:

D. O. M.

SFORTIAE PALLAVICINO

E SOCIETATE JESU

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE

PRESBYTERO CARDINALI

TIT. S. SALVATORIS IN LAURO

DOMUS HAEC PROBATIONIS HAERES M. P.

OBIIT NONIS JUNII

ANNO REP. SALUTIS CIƆIƆCLXVII.

AETATIS SUAE LX.

Digitized by Google

OPERA EDITA

De Universa theologia a Marchione Sfortia Pallavicino post theologicam lauream publice asserta in Collegio Romano Societatis Jesu libri IX. ad Urbanum VIII. P. M. Romae ex Typographia Francisci Corbelletti 1628. in fol.

Discorso se sia più nobile l'intelletto o la volontà. *Extat in libro, qui inscribitur*: Saggi Accademici detti in Roma nell'Accademia del Serenissimo Principe Cardinal di Savoja da diversi nobilissimi ingegni, raccolti e pubblicati da Monsig. Agostino Mascardi Cameriere d'honore di N. S. Urbano VIII.

Canzone in morte di Madama Serenissima Catterina Principessa di Toscana e Duchessa di Mantova. *Edita Senis fuit apud Bonettum an. 1619 cum oratione, quam de laudibus ejusdem feminae habuit Gherardus Saracinius.*

Canzone nelle nozze di D. Taddeo Barberini ed Anna Colonna: In Roma presso gl' impressori Camerali.

I Fasti Sacri. *Totum opus constare debebat quatuordecim usque libris, quorum duo tantummodo impressi fuerunt.*

L'Ermenegildo Tragedia del P. Sforza Pallavicino recitata nel Seminario Romano con un discorso in fine. In Roma pel Corbelletti 1644. in 4. *iterumque 1655.*

Digitized by Google

Del Bene libri quattro del P. Sforza Pallavicino della Compagnia di Gesù con la nota in fine di ciascun libro delle conclusioni principalmente stabilite in esso, e con un' indice abbondante delle materie. In Roma appresso gli Eredi di Francesco Corbelletti 1644. in 4. In Napoli appresso Antonio Bulifon 1681. in 4. *In Praefatione Auctor ait.* Compongo quest' opera in due idiomi, in latino, ed in italiano . . . . non mi lego però ad una stretta traduzione, desiderando io, che ambedue questi miei parti appajano liberi, originali. *Hujus interpretationis latinae extat tantummodo pars prima edita Coloniae Ubiorum apud Joannem Kinchium 1646. in 4. cum hoc titulo*: Philosophia Moralis. *Scripsit hoc opus in disputatione & dialogo, loquentesque induxit Alexandrum Ursinium Cardinalem, Gherardum Saracenium, Antonium Querengum, & Jesuitam Andream Endemonjannem.*

Considerazioni sopra l' arte dello Stile e del Dialogo con occasione di esaminare questo problema: Se alle materie scientifiche convenga qualche eleganza ed ornamento di stile e quale: in Roma per gli Eredi del Corbelletti 1646. in 12. in Bologna 1647. in 12. in Roma *cum additamentis & emendationibus 1662.*, e in Venezia 1663. 1698. *Quando tertio opus im-*

preſſum fuit, hunc prae ſe tulit titulum: Trattato dello Stile e del Dialogo, ove nel cercarsi l' idea dello scrivere insegnativo, discorresi partitamente de' varj pregj dello stile sì Latino come Italiano, e della natura dell' imitazione, e dell' utilità del dialogo, composto dal P. Sforza Pallavicino della Compagnìa di Gesù, ed in questa terza divolgazione emendato ed accresciuto.

Lettere e Prefazioni alle Rime ed alle Prose di Monsignore Giovanni Ciampoli. *Summo ſtudio Pallavicinius collegit, & edenda curavit haec Ciampolii ſcripta.*

Vindicationes Societatis Jesu, quibus multorum accusationes in ejus institutum, leges, gymnasia, mores refelluntur, auctore Sfortia Pallavicino ejusdem Societatis Sacerdote: Romae typis Dominici Menelphi *1649.* in 4.

Assertionum theologicatum Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Jesu libri quinque ad Eminentissimum Principem Joannem Card. de Lugo: Romae typis haeredum Corbelletti *1649.* Tom. III. in 12. Liber VI. de Sacramentis *1650.* Liber VII. de virtute & sacramento poenitentiae *1651.* Liber VIII. de Deo Uno & Trino *1652.* Liber IX. de substantia & proprietatibus naturalibus Angelorum *1652.*

R. P. Sfortiae Pallavicini in Collegio Romano Societatis Jesu Sacrae theologiae Professoris Disputationum in primam secundae D. Thomae Tomus primus: Lugduni sumpt. Philip. Borde, Laur. Arnaud, & Cl. Rigaud 1653. in fol.

L'Istoria del Concilio di Trento scritta dal Padre Sforza Pallavicino della Compagnìa di Gesù, ove insieme rifiutasi con autorevoli testimonianze un' istoria falsa divulgata nello stesso argomento sotto nome di Pietro Soave Polano: Roma per Angelo Bernabò 1656. & 1657. Vol. II. in fol. *Secunda editio emendatior*: in Roma per Biagio Diversino, e Felice Cesaretti Vol. III. in 4. 1664. *Haec editio renovata Mediolani fuit 1718. typis Dominici Bellagattae. Magnum vero huic historiae addidit ornamentum Franciscus Antonius Zaccaria, quod eam sic edendam curaverit Faventiae a typographo Josepho Antonio Archio, ut nil desideraretur, quod ad illam, & scriptoris vitam, in qua declaranda operam praesertim posuit Irenaeus Affò, illustrandam pertineret*. Vol. V. in 4. 1792.= 1796.

Arte della perfezion Cristiana del Cardinal Sforza Pallavicino divisa in tre libri: Roma 1665. per Angelo Bernabò in 8. *Eodem anno editum opus fuit Venetiis a Nicolao Pezzana, anno*

vero 1666. Mediolani a Ludovico Monza, & semel iterumque Venetiis ab Andrea Poletto in 12. an. 1668. & 1700.

Avvertimenti gramaticali per chi scrive in lingua Italiana dati in luce dal P. Francesco Rinaldi della Compagnia di Gesù: Roma presso il Varese 1665. in 12. *Patavii haec monita edidit Jacobus Facciolatus cum corollario 1715.* typis Seminarii.

Lettere dettate dal Card. Sforza Pallavicino di gloriosa memoria raccolte e dedicate alla Santità di N. S. P. Clemente IX. da Giambatista Galli Pavarelli Cremonese: Roma per Angelo Bernabò 1668. in 8. Bologna 1669. per Gio. Recaldini in 12. Venezia presso Combi e la Nou 1678. & 1701. per Lorenzo Baseggio.

Lettera al P. Pietro Poussines in commendazione della Storia della Congregazione de auxiliis da esso scritta. *Extat Gallicam in linguam conversa in libro, qui inscribitur:* Catalogue raisonnè des principaux manuscrits du Cabinet de M. Joseph Louis Dominique de Cambis a Avignon 1770. in 4

Poesie. *Extant in* Scelta di Poesie Italiane non mai per l'addietro stampate di più nobili Autori del nostro secolo: Venezia 1686. presso Paolo Baglioni in 8. *Collegit haec carmina Stephanus Pignattellius, cujus magnum erat in poetis suae aetatis nomen.*

Digitized by Google

Scritture contrarie del Card. Sforza Pallavicino o del Chiarissimo Luca Olstenio sulla questione nata a' tempi di Alessandro VII. se al Romano Pontefice più convenga di abitare a S. Pietro, che in qualsivoglia altro luogo della città: Roma 1776. *Scripta haec edidit Antonius Franciscus Zaccaria, qui & adnotationes suas adjecit, quae confirmare videntur prolata a Pallavicinio, cujus haec erat sententia, licere Romano Pontifici locum, quem commodiorem putasset, ad habitandum eligere. Nuncupavit haec ipsa scripta Jo. Baptistae Rezzonico Cardinali.*

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

ANGELO BANDINIO

Laurentianae Basilicae Canonico

S. P. D.

Ex omnibus profecto artibus, in quibus libera quaedam, & homine ingenuo digna animi oblectatio quaeritur, praestare videntur poesis atque musica, quae antiquissimis temporibus ita conjunctae fuerunt, iidem ut artifices poeticam & musicam disciplinam profiterentur. Nulla enim poesis erat, quae non caneretur, psallentibus interdum, qui canebant. Hujus rei plura exempla & testimonia extant apud Homerum, nec desunt apud Latinos, nam ut Virgilius ait Aeneidos libro I.

. . . . . cithara crinitus Jopas
Personat aurata, docuit quem maximus Atlas,
Hic canit errantem lunam, solisque labores,
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignes.

Ea propter Terentius studium musicum artemque musicam poesim vocare minime dubitavit, quique non vetera modo Graecorum, sed & Hebraeorum monumenta inquisivere, miram utriusque artis conjunctionem probant etiam Davidis Regis exemplo, qui egregius Psaltes in Israel *vocabatur, quod suorum ipse carminum erat modulator & cantor. Malo fato haec munera postea sejuncta & separata fuere, ut poetae scilicet carmina suppeditarent, musici autem iis modos accommodarent, ex quo factum, ut poesis negligi coeperit, & vocum tantummodo & sonorum sine mente, nullaque subjecta sententia, ratio haberetur, quod quam illiteratum & insulsum sit, & alienum ab ipsius poesis di-*

Digitized by Google

gnitate, nemo sane non videt. Nam dominae vix ancillae partes tribuuntur, & quod ad orationis condimentum repertum fuit, pro cibo sumitur imperite & absurde adeo, ut qui cantorem hisce temporibus audiat, minimam vix partem eorum, quae canuntur, intelligat. Adde quod carminis, vel metri nec vola, nec vestigium apparet ob inversionem, decurationem, repetitionemque verborum, nec sane, ut olim, theatra tota reclamant, si in numeris ac modis paulum offensum sit, ut aut contractione brevius fiat, aut productione longius. Eo malae consuetudinis corruptela processit, ut vel in templo Dei ii maxime probentur cantus, quos majores nostri non dicam in theatris, sed ne in triviis quidem tulissent. Nec mirum;

Nam alio mentes, alio divisimus aures (*)

quod vitium emendare qui voluere, diligentiam adhibuerunt ad investigandum qua ra-

---

(*) Cutul. in epithalamio.

tione a veteribus musicis animorum motus excitarentur, in quo Graecos omnis praeclarae artis inventores perfectoresque excelluisse adeo a gravissimis historicis traditum est, ut in illorum potestate esset auditores quo vellent impellere, unde autem vellent deducere. Atque ii constanti adeo institutionum praesidio disciplinam suam tuebantur, ut, quemadmodum Platoni placuit, necesse esset mutari civitatis statum, musicorum cantibus mutatis. Et sane nisi civitatum mores lapsi fuissent ad mollitiem, & dulcedine corruptelaque depravati, sacrilegorum poena eos musicos dignos putarent, qui in Dei laudibus canendis cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquentes, ac voce luscinias, passeres peregrinos, acanthidas, merulas imitantes vocum minime servant modum, & omnia foede corrumpunt, pluris putantes aurium dulcedinem, & titillantem ex ea re natam laetitiam, quam incitationem mentis ad persolvenda, quae Deo debentur, officia. Docte & graviter haec vindicare studuit Jo. Baptista Donius, longe providens, quam sensim pernicies illapsa

Digitized by Google

civium animos malis studiis malisque doctrinis eos esset infectura; assentiebatur enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi modos. Itaque multis exaratis scriptis, doctis sane & laboriosis, jucundam illam severitatem, quae majoribus nostris unice perplacuerat in Dei Sanctorumque laudibus celebrandis, restituere adlaboravit, & omnem rem musicam sacram & profanam, theoricam & practicam, vocalem, ut ajunt, & organicam sic illustrare studuit, ut veterem illam excellentemque Graecorum prudentiam ad nostrum usum moremque facile transferre possemus, quo in genere, quod nulli fuerant satis eruditi ob inopiam obscuritatemque scriptorum, quae ad nos pervenerunt, speravit, qua praeditus erat mentis acie atque eruditione, posse se multa nova in medium proferre. Nec sane eum spes fefellit, quo, aliisque bene multis nominibus deberi hoc a te tanti homini ingenii putasti, ut, cum etiam nunc vivam illius memoriam teneremus, hanc immortalem prodendis monumentis, quae ad illius vitam spectabant, red-

deres. Quae tu copiose, nos breviter strictimque exponemus, ita tamen, ut nihil videamur debere praetermittere, quod ad ejus singularia in litteras merita declaranda pertineat. Pro tua in me indulgentia id te probaturum confido; magni vero utriusque nostrum interest, sic judicari de nobis, ut nostra laudatio atque auctoritas aliquid momenti habitura sit apud eos, qui aemuli & imitatores optimorum studiorum esse cupiunt, qui si animadverterint nil tam cognatum esse mentibus nostris, quam numeros & voces, & veteres Graecos summam eruditionem sitam putasse in nervorum vocumque cantibus, usque eo, ut Themistocles habitus fuerit indoctior, quod in epulis lyram recusasset, magnam Donio habebunt gratiam, quod nos docuerit, quomodo ii ex notatione, & animadversione naturae pepererint artem, quibus praeceptis, postquam in illa infantia naturali diligentissime inquisierant, quod aures hominum maxime teneret, ipsam instruxerint, quibusque organis ditaverint, quae quia minime traduntur in vulgari disciplina, necesse est, ut qui hanc sequuntur, in

Digitized by Google

ineptiarum crimen incurrant. Hae, ipſo docente, apparent & intelliguntur, ne autem repudientur, multitudinis ſit culpa, quae ſine ulla arte aut ratione, quae ſunt in artibus ac rationibus, recta ac parva dijudicat. Sed haec hactenus. Tu, ſi quid ad ea, quae de Donio exaravi, aliquid addendum putaveris, me, ut ſoles, libere & amice admonebis. Vale.

Piſis Kal. Martii MDCCXCVIII.

JO. BAPTISTA DONIUS

Jo. Baptista Donius Florentinus Francisci & Justinae Lapiae *del Tovaglia* filius acceptam a majoribus nobilitatem & gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, rei musicae, mathematicae & physicae peritissimus, idem & jurisconsultus, Graecis Latinisque litteris eruditus, & omnis antiquitatis bene gnarus. Is in lucem venit Florentiae an. MDXCIII. quodque in eo vel ab ineunte aetate egregiam quamdam & praeclaram indolem ingenii & virtutis esse cognoverunt parentes, ipsum sic instituendum curarunt, ut aliquando patriae futurus esset ornamento. Bononiae, quam in urbem concessit, vix expleto undecimo aetatis anno, litterulas illas didicit, quibus pueri in-

formari solent, inde Romam se contulit, operam daturus rhetoricae, poeticae & philosophiae, in quibus tanto antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. Usus est autem praeceptoribus Tarquinio Gallutio, Bernardino Stephonio, Famiano Strada, & Torquato de Cupis, hominibus e Societate Jesu, quorum tum erant pervulgata nomina. Multum quoque temporis tribuit Graecis litteris, sine quibus omnem eruditionem mancam quodammodo & imperfectam fore intelligebat. Mirabile est quot scriptores veteres & recentiores in juvenili aetate volutaverit, quod conjici potest ex additatementis, quae fecit in Ravisii Textoris opus de Epithetis, ex phraseologio poetico, aliisque hujusmodi scriptis, quae propter usum suum exaravit. Idem non mediocriter se vel a pueritia profecisse testatur in geographia, & geometricum pulverem sic tractasse, ut omnem Euclideam rationem scientia comprehenderit. Tali modo instructus, postquam ad paucos menses in patria commoratus est, vere an.

MDCXIII., ut patri morem gereret, qui eum foro destinaverat, in Galliam migravit, ubi Cujacii praeceptis institutisque juris prudentiae studia florere putabantur. Substitit autem Avarici Biturigum, qua in urbe summus ille vir ludum aperuerat, ex quo, tanquam ex equo Trojano, innumeri principes exierunt. Collegium, ut vocabant, Convictorum ingressus studia rhetoricae, litterarum Graecarum & philosophiae renovavit, attigit & historiam naturalem, aliasque physicas facultates, didicit linguas tum Gallicam, tum Hispanicam, plurimum se exercuit in historia & chronologia, ac per totum quinquennium fere ita versatus est in medio jure civili, quod tradebatur ab ipsius Cujacii discipulis, ut patris expectationem ac desiderium plane expleverit. Quare de se ad Franciscum Barberinium scribens dicere minime dubitavit: *a primis annis studiis ac vigiliis deditus, & a voluptatibus, sive natura, sive instituto abhorrens, legitimum illum scientiarum ac juris prudentiae curriculum sub optimis magistris in celeberrimis Academiis absolvi, nullique sumptui*

unquam peperci, quo eas omnes facultates condiscerem, quibus honesto loco natis ornamenta vitae quaeruntur, praepararique aditus potest ad publica munera cum laude & dignitate obeunda. Erat libentissime Avarici, quod ea urbs abundabat viris in omni disciplinarum genere doctissimis; coactus vero paternis jussis in patriam redire, postquam desiderio satisfecerat Lugduni conveniendi Gasparem Mornievum dignitate & doctrina amplissimum virum; coepit secum ipse cogitare, quam disciplinam praesertim excoleret. Prorsus voluisset humanioribus litteris totum se dedere, sed obstabat patris voluntas, a quo non invitabatur modo, sed pene cogebatur ad forenses labores, ut pote quaestuosos, suscipiendos, cujus rei caussa insignia doctrinae Pisis accepit ab Alexandro Puccinio. Amabat juris prudentiam, sed illam cultiorem, Cujacianam dico, forensem vero, litigiosam, ac pragmaticorum propriam omnino aversabatur. Quare minime a se obtinere potuit, ut hanc exerceret, dumque laborabat, ut monumentum aliquod extaret doctrinae suae

(&

Digitized by Google

(& tum scribendum susceperat de recta linguarum Hebraicae, Graecae & Latinae pronunciatione) pèr quod locus sibi daretur vel in patrio, vel in Pisano Lyceo, accidit, ut invitaretur ab Octavio Corsinio Praesule amplissimo ad secum Parisios proficiscendum, quo maximarum rerum caussa a Romano Pontifice legabatur. Minime occasionem dimisit visendae urbis instrumentis ad adipiscendam sapientiam opportunissimis, & hominibus omni disciplinarum genere praestantibus refertae, qui quidem adolescenti & ingenio peracri, & studio flagranti, & doctrina eximia, & memoria singulari sic faverunt, quasi particeps jam factus esset ejusdem laudis, quam tot laboribus sibi comparaverant. Ad familiaritatem vero praesertim se applicavit Jesuitarum Dionysii Petavii, Frontonis Ducaei, Jacobi Sirmondi, & Francisci Vigerii, neque obstitere inimicitiae, quae erant inter Petavium ipsum & Claudium Salmasium, quominus huic quoque carus & jucundus fuerit. Nec contempsit philosophos ac mathematicos, ut ex litteris illius ad Peireskium & Mer-

sennium (*) intelligi potest. Verum dum in tantorum hominum benevolentia, & eruditissimis sermonibus conquiescebat, eorumque copiis fiebat quotidie doctior, domesticae curae, fratrisque carissimi obitus coegerunt ipsum in patriam an. MDCXXII. remeare. Quoniam ibi tantum nactus est otii, quantum jamdiu sibi non contigit, antiqui-

---

(*) Narro tibi (*in haec verba scribebat ad Mersennium ipsum, sane geometram cum paucis comparandum*) vir religiosissime, nullum mihi majorem fructum ex tot meis peregrinationibus consequutus videor, quam eruditorum primi nominis notitiam adsequi, quorum in amicitiam & familiaritatem, ut potui, me insinuavi tam cupide atque ardenter, ut quum alii, varias ob caussas, longinquas terras, ac maria sibi adeunda putent, ego ob id solum, quod dixi, nullis laboribus ac viarum difficultatibus retardatus, quantumvis remotissimas oras, si mei arbitrii esset, circum lustrare non recusem. *Hac in re sic ei favit fortuna, ut non facile invenisses hominem, qui illo magis floruerit summorum virorum familiaritatibus.*

Digitized by Google

tatis studia a sapientissimis viris Florentinis concelebrata & diligentissime culta sic repetenda putavit, ut per se quoque illustrarentur. Itaque undique conquisivit veteres inscriptiones, urnas, bases, aras, cippos, omnes denique tabulas suis cum ornamentis, zophoriis, epistyliis, coronis, signis, parergis, nec non antiquissima papyracea scripta, atque haec omnia in ordinem redegit, & quae erant obscura patefecit. Non est credibile quot sustinuerit labores hujus studii caussa, quod tota vita nunquam intermisit, solitus, ut venaticus canis, optime odorari omnia antiquitatis monumenta, atque pervestigare, quare cum scriberet ad Gasparem Scioppium mirari se dixit, quod infirmitatem valetudinis, & mores ad patientiam minime proclives spe juvandi rem litterariam vincere potuerit. Laetari se vero addidit, quod adeo sibi fortuna favisset, ut sex amplius millia inscriptionum collegerit, atque in his multas prolixiores, minimeque vulgares, plurimas vero singularibus lectissimisque rebus refertas, quae ad Gruteri aliorumque manus minime

pervenerant, ad id nonnullas litteris barbaris, nec eatenus visis exaratas. Plurimum sane intererat ad rem antiquariam, ad laudem civitatis, quae his monumentis abundabat, & ad Donii gloriam nova hac copia augere Gruterianum Thesaurum, qua de re is saepe rogabatur a doctissimis viris, ad quos tanti operis fama pervenerat. Fuit ille quidem semper liberalissimus, quoties se se ei occasio obtulit gratificandi amicis, e quibus Nicolaus Rigaltius, Felix Contelorius, Thomas Reinesius, & Jacobus Philippus Tomasinius multas se ab eo accepisse inscriptiones ad illa, de quibus scribendum susceperant, illustranda maxime idoneas grate testati sunt; & nunquam non aures praebuit monitis Hugonis Grotii, Salmasii, Jo. Friderici Gronovii & Danielis atque Nicolai Heinsiorum, qui his commodis fraudare rempublicam indignum homine sapiente esse affirmabant: nihilo tamen minus rem quotidie differens, mortem prius obiit, quam patriae, quod debebat, solverit. Neque aliter evenit ejus filiis & Carolo Datio, qui de conficiendo hoc munere non

modo cogitarunt, sed etiam fidem obligarunt, quare nisi longum post tempus eruditorum desiderium explevit Antonius Franciscus Gorius vir omnis antiquitatis Graecae & Latinae peritissimus. Eodem tempore, quo Donius totus esse videbatur in colligendis antiquitatis reliquiis, alia moliebatur, quae litteris fructuosa fore sperabat. Cetera inter erat onomasticum, de quo cum an. MDCXXVIII. scriberet ad Gasparem Scioppium omnium studiorum consiliorumque suorum participem, ait se absolvisse ea, quae ad rem escariam pertinebant, ac magna ex parte confecisse libros Oeconomicum, Polytechincum, Georgicum, Architetonicum, ac Strategicum. Erant ei laboris stimuli urbs, in qua habitabat, Dominus, cui famulatum praebebat, doctissimi homines, quibuscum quotidie congrediebatur. Nam cum Pontificatum maximum obtinuisset Urbanus VIII. hujus fratris filius Franciscus Barberinius Cardinalis Romam accivit Donium, suaeque aulae addixit. Cave autem putes eo fuisse hominem liberaliorem in provehendis litterarum studiis, in cujus aedibus Musas

Digitized by Google

ipsas, omnesque ingenuas artes habitasse dixisses. Huic ut probaret se minime expertem esse Latinae poesis, quae tum in honore, ipso Pontifice cultore, maxime erat, de hujus laudibus poema texuit, quod licet festinanter exaraverit, prodebat tamen se facilem & expeditum esse ad hoc scriptionis genus, cujus facilitatis vel antea signum dederat, condito poematio de ludo follis, & una atque altera elegia de pugna elephantis & draconis, & de Jo. Millinio Cardinali. Vel a pueritia studia poetica mirum in modum coluerat, grandior autem factus, quando doctrina uberior accesserat, pomeridiana tempora concedere solebat veterum poetarum lectioni. Novum & excogitavit scribendi carminis genus, pentametros alternatim dictionibus polisyllabis dissyllabisque concludens, in quo perpaucos, vel potius nullos imitatores habuit. Haec erant laxamenta graviorum occupationum, quodque personabant Barbariniorum aedes non tam poetarum, quam musicorum cantu, quae veteres observaverint in usu & tractatione musicae artis, dum tragoedias

Digitized by Google

& comoedias agebant, inquirendum sibi putavit. Binas hac de re obtulit patrono suo dissertationes, quibus probavit cantus & tibicines adhibitos in scena fuisse, nec in choris tantummodo, ut erat multorum sententia, sed etiam in aliis dramatum partibus. Mirari se dixit quod hoc eruditionis genus, quod ad theatra & musicam pertinet, non satis excultum fuisset, qua in re operam suam minime defuturam spopondit. Majora dum apparabat, accidit, ut ineunte vere an. MDCXXV. in Galliam a Pontifice legatus mitteretur ad pacem inter Christianos Principes conciliandam Barberinius ipse Cardinalis, qui cum aliis nobilissimis doctrinaque praestantibus viris Donium secum habere voluit (*). Hac obita legatione,

---

(*) *Horum mentionem fecit Petrus Gassendus in vita Peireskii lib. IV. Ait enim*: Aleander nimirum adscitus in Cardinalis familiam e comitatu ipsius erat, una cum nobili equite Cassiano a Puteo, qui profecto quantus vir fuerit, eruditi bonique omnes ipsi devincti, Romae

Digitized by Google

quanquam non feliciter admodum Gallorum culpa, quorum ingenia ad fallendum erant parata, aliam suscepit Barberinius ad Hispaniarum Regem, qua paci Italicorum Regum, & catholicae religionis bono mirum in modum consuluit. Conscius Donius omnium illius consiliorum, fidem & diligentiam ei praestitit singularem, neque minus sibi prospexit musea, bibliothecas (*), antiquitatis

---

loquuntur; itemque cum illo aliquoties memorato Dobonaero, quem cum ob propria merita, tum ob Barclaii memoriam satis complecti nunquam potuit, ac rursus cum Jo. Baptista Donio, eruditionis profundae viro, quem Cardinalis habere voluit a Latinis epistolis, & cum viro omnino bono Ludovico Aubrio Menilio Parisino, cujus fuerat varia officia, tum Parisiis, quam Romae expertus. Ac fuere quidem alii plerique, sed speciales tantum Peireskii amicos haeic commemoro.

(*) *Homo, qui se externis adeo instruxerat copiis, rem fore utilem Italis suis existimavit, si eos docuisset rationem instituendae, ordinandae atque ornandae bibliothecae, unde subsidia ad omne*

rudera, rerum geſtarum monumenta ſculpta, & exarata, homines celebritate famae etiam abſentibus notos inviſens, & ea inquirens omnia, quae ad populorum mores, leges, inſtituta & locorum naturam pertinebant. Secum vero adtulit magnam librorum & inſcriptionum copiam, ſeque beatum putavit, quod in Gallia veteres amicos ſuos reviſerit, novoſque ſibi obſtrinxerit, atque in Hiſpania familiaritatem ſibi conciliaverit Ludovici Tribaldi, Laurentii Ramires de Prado, Joannis Pinedae, &, ut de aliis multis ſileam, Ludovici *la Cerda*. Cum ſcriberet ab Edmundum Merillum de hoc ſuo Hiſpanienſi itinere, ait ſe incolumem Romam rediiſſe (febri tamen tentatus fuit) tertiam fere partem nobiliſſimi comitatus e vita exceſſiſſe, & priſtina ſtudia repetiiſſe non tam ſua ſponte, quam cohortationibus Domini ſui, cujus voluntati & gratiae, ab

---

doctrinarum genus tractandum excolendumque parari potuiſſent.

aula licet abhorreret, plane deditus erat. Huic rem gratam fore minime dubitavit, si suis quoque versibus nuptias celebrasset Thaddaei Barberinii Caroli Fratris Pontificis Filii & Annae Columnae, quae regio propemodum sumptu & apparatu factae fuerunt an. MDCXXVII. Latino Carmini nomen *Coronae Myrteae* dedit, in quo bina quaeque membra strophe & antistrophe sibi respondent. Est quidem elegans, & grandioribus sententiis atque imaginibus adspersum (Pindari enim imitator Donius dici volebat) deque eo cum judicium exquisiisset Gasparis Scioppii & Benedicti Floretti, quorum aures teretes sane & religiosae erant, ab utroque laudes retulit haud vulgares. Minime tamen sibi probari dixit Florettus, quod sententias strophis non clauderet, hujus rei licet exempla dederint Graeci & Latini poetae. Antequam hoc carmen vulgaret, oden emiserat cum epinicio & epigrammatibus nonnullis ob receptam a Ludovico Francorum Rege Rupellam, repulsamque Anglorum classem, nec non carmina varia, quae, si tempora spectes, quibus nil

Digitized by Google

probabatur, nisi quod turgebat & inflatum erat, tanta est corruptela malae consuetudinis, laude haud mediocri digna putabis. Gratissimum Ludovico Regi fuit donum carminis & epinicii, quod humanissimis litteris ad Auctorem ipsum scriptis testatus est. Is vero cum intelligeret, investigatione earum rerum, quae sunt veteribus monumentis traditae, & quae sunt in usu apud cultiores nationes, se tantum roboris assecutum esse, ut ceteros docere posset *de ratione pangendi carminis*, *de parodia*, *de choris antiquis*, *de dramatum antiquis novisque speciebus*, ad haec tractanda omne studium curamque convertit. Alia & parabat, nullum patiens esse diem, quin commentando, legendo & scribendo multa in adversaria referret, ad quorum cognitionem jam corroboratus doctrina deducebatur. *Constitui* (his verbis scribebat ad Florettum suum) *edere ideam quamdam, sive synopsim aliquot operum, quae partim absoluta, partim affecta, partim in animo concepta habeam, ut appareat saltem, sin minus ob fatales meas in studiis adversitates*

p ficere potero, tamen praeclara moliendi conatum atque voluntatem mihi non deesse. Ex his operibus maxime expeti videbantur ab eruditis hominibus Pandectarum, vel Onomastici libri, quibus ad illud sincerum ac subtile Scioppii & Francisci Bernardini Ferrarii judicium nihil poterat esse laboriosius atque laudabilius. Horum binos (viginti enim duobus totum opus constabat) cum edolasset, obtulit patrono suo munificentissimo Barberinio Cardinali, quorum alter rei equestris & navalis, alter cibariae, ceterarumque rerum, quae ad vitam sustentandam sunt necessariae, vocabula complectitur. Ex his quam ingenti, immensoque in campo is versari sibi proposuerit, quantarumque artium opus esset, facile intelligi potuit. Nec profecto mediocris laboris erat, ut Plinii verbis utar, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem. Quod ut praestaret, non solum ex editis libris, sed etiam ex inscriptionibus, ex antiquis chartis, ex lexicis, & glossariis ineditis, ex recentioribus linguis cum

iis, quae olim erant in usu, collatis innumera collegit ad rem grammaticam, musicam, militarem, dialecticam, physicam, medicam, politicam, geographicam, moralem, rusticam, civilem, vestiariam, sacram, profanam, historicam, fabulosam, aedificatoriam, lusoriam aliasque hujusmodi illustrandas. Haec ampliora videbuntur, quam ut ab uno homine disci tractarique potuerint, sed cum Donius nosceret omne iter antiquitatis, ut non facile reperiri potuisset, quod illi esset incognitum, seque locupletasset graviorum artium, multarumque linguarum instrumento, plurima, quae aliorum diligentiam effugerant, proferre, novaque luce illuminare potuit. Ad haec, quidquid de Hebraicae, Graecae & Latinae recta pronunciatione multa diligentia & acri judicio adnotaverat, in volumen redegit, a quo omne id removit, ne actum agere videretur, quod ante se tradiderant Erasmus, Mekerchus, Lipsius, atque Gretserus. Multus praesertim fuit in quaerendis, quae supersunt in recentioribus linguis antiquae pronunciationis vestigiis, & in vestigandis

ex plurimis longeque remotissimis linguis priscos sonos Graecae Latinaeque deperditos. Separatim quoque egit de accentibus, seu de prosodia, de temporum spatiis, de adspirationibus, aliisque similibus, neque contentus suam se tulisse sententiam, ac judicium pronunciasse, quae de his rebus senserunt veteres Graeci gràmmatici Porphyrius & Herodianus, quorum extabant in Vaticana & Parisiensi bibliotheca scripta quaedam a se in Latinum conversa, in medium afferre cogitavit. Investigavit etiam tenues Etruscae linguae, aliorumque veterum Italiae populorum reliquias, qua de re disserendi occasionem ei dederunt bina Etrusca numismata, quae forte fortuna ad Barberinii Cardinalis manus pervenerant. Atque de Etruscorum lingua cum binas videret ferri sententias, quarum nullam probabat (erant enim, qui affinem illam esse putabant Syriacae, alii, qui Graecae) multa attulit argumenta, quibus Latinae linguae ope Etrusca monumenta explanari commode posse contendit. Ex linguarum proprietatibus merito conjici posse judicavit, quam cognatio-

nem inter se habuerint veteres populi, & quae fuerint illorum migrationes, quo de argumento sic disserendum duxit, ut omne id colligeret, perpenderetque, quod a Moyse atque Ethnicis scriptoribus litteris consignatum fuerat. Tot Donii labores in antiquitatis studia minime ignorabat Summus Pontifex, quin immo provehebat, utque eum insigni aliquo praemio afficeret, munere honestissimo Secretarii, ut vocant, Cardinalium Collegii decoravit. Successit in locum Jo. Baptistae Lavri, qui ut de re catholica bene mereretur, opus inchoaverat *de Notitia Episcopatuum orbis Christiani*. Sane magnopere intererat Pontificis istud absolvi, cujus rei mandatum dedit Donio, qui in illo exhauriendo minime passus est desiderari diligentiam suam. Dum versabatur Donius in doctorum hominum, quibus tum urbs Roma abundabat, flore, & vel ab iis colebatur, qui illum aetate anteibant, nil tam optabat quam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae conferre in amicos, quorum plerique debitum ejus liberalitati doctrinaeque testimonium tribuerunt. Dabat

etiam operam ne qua amicorum, inter quos laudis esset aemulatio, dissidia fierent, omnesque, conjunctis studiis, civium commodis, & litterarum utilitati consulerent. Fuit autem quaedam fortuna fatalis, ut brevi tempore multos peste aliisque morbis consumptos amiserit, e quibus mortem praesertim deflevisse videtur Hieronymi Aleandri, cujus tumulum epigrammate ornavit (*). Nam ei omnia, quae jucunda & humanitate alterius, & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Maximam etiam calamitatem cepit a domesticis funeribus. Immaturo enim duorum fratrum interitu, quorum alterum morbus, ferrum alterum singulari in certamine vita privavit, coactus est novam

---

(*) Hospes Aleandri tumulum si forte requiris,
Hic brevis illius contigit ossa lapis.
Cetera si quaeris, musarum limen adito,
Liquit ubi ingenii tot monumenta sui:
Majora, at priscae probitatis fama superstes,
Doctorum gratis mentibus inseruit.

vam vitae rationem inire, familiae negotiis atque curis in patria implicari, spem abjicere honorum ampliorisque fortunae, & urbem relinquere, in qua tot ad antiquitatis studia colenda habebat subsidia. Ab illa, quam tanquam alteram patriam diligebat, cuique quidquid erat referebat acceptum, antequam discederet, extare voluit insigne pietatis suae monumentum, exarato opere *de salubritate agri Romani restituenda*. Diligenter inquisivit in ea, quae sunt memoriae prodita, ut probaret agrum illum antiquissimis temporibus fuisse salubrem, indicaretque per quos, quibusque de caussis sulubritatem hanc perdidisset, quae huic malo remedia afferri potuissent, quaeque his potiora judicasset. Minime enim dubitabat, quin Urbanus VIII. qui tot modis amplificaverat ornaveratque Pontificiam ditionem (*) hoc facto suam gloriam esset

(*) *In Epistola nuncupatoria ad ipsum Pontificem haec de eo narrat*. Nam quum novis, atque

cumulaturus. Ante Donium licet hanc ipsam rem satis erudite tractaverit Marsilius Cognatus Veronensis, qui diu medicinam Romae fecit, multa tamen is nova attulit tum ex antiquitatis thesauris, tum ex interiori physica petita, quibus plausere & Pontifex ipse, & ii omnes, qui eruditionis & humani generis incolumitatis erant studiosi. Qua-

---

insignibus operibus non Urbem modo, sed totam Ecclesiae ditionem muniri, atque exornari a te cernerem, minime culpandus videbar, si qua verae gloriae stimulis inflammato, qua paternae charitatis face in publica commoda nunquam non excubantis, accenso tanquam igni pabulum, recentem laudis materiem subjicerem. Quid enim? Hadriani moles firmis atque ingentibus operibus inclusa; in Vaticano armamentarium institutum, copioseque instructum; Pontificia domus reconcinnata atque exculta; in Quirinali egregie ampliata; vetusta templa a fundamentis restituta: Bononiensium & Ferrariensium fines validissima hinc arce, illinc opportunis aggeribus praemuniti; Centum Cellarum portus repurgatus &c.

re satis mirari non possum, quod de tam utili opere in vulgus emittendo minime sollicitus fuerit, quod liberi illius longum post tempus praestitere. Sed ita natura comparatus erat, ut conquireret undique materiem magnorum operum, multa & varia inchoaret, pauca absolveret, & absoluta vel modestia, vel spe meliora faciendi libentius apud se retineret, quam vulgo concederet. Porro si famae cupidior fuisset, multos, quorum immortalitati commendata sunt nomina, gloria vicisset, quemadmodum doctrina superabat, nec miraremur Niceronium, Baylium aliosque, qui de hominibus eruditione praestantibus vitas declararunt, nullam Donii mentionem fecisse. At hi animadvertere saltem debebant, parvi licet fecerint ejus carmina, orationem de laudibus Mariae Mediceae Gallorum Reginae, quam dixit Florentiae, cum ei maxima pompa parentaretur, dissertationem de antiquorum poenula omni eruditione refertam, quae jam extabant scripta, de Graecorum musica, tum theorica, tum practica multa adeo nova, recondita ac plane docta ipsum in medium

attulisse, ut hoc uno nomine immortalitatis memoria dignus videatur. Vel a prima adolescentia, invitante patre, cujus in domum celebriores musici convenire solebant, animum ad veterem musicam illustrandam applicuit, quod studii genus adeo in eo cum aetate crevit, nunquam ut praetermisisse videatur. Plurimum commendabat quae Hieronymus Mejus, & Vincentius Galilejus magni Galileii pater Florentini homines hac de re litteris mandaverant, sed multa superesse intelligebat, quae lucem auctoris desiderabant. Neque contentus editis libris veterum rei musicae scriptorum, in quibus interpretandis multam & diligentem operam adhibuit, ineditos quaesivit, favitque ei fortuna, quod Aristoxeni, quo nemo doctius musicam tractasse videtur, libros quosdam περι ρυθμικης inscriptos invenerit. Hos Latinam in linguam vertit, & copiosis commentariis ornavit. His subsidiis, & acri judicio perpensis collatisque inter se scriptorum locis, minime dubitabat restitui posse musicam Graecorum artem, quibus tantum tribuebat, ut sive melos modique, sive rhy-

thmus ac numeri, ſive lexis aut dictio ſpectarentur, illos noſtratibus longe ſuperiores, minime vero inferiores fuiſſe in muſicis organis fabricandis atque tractandis contenderet. Vulgavit itaque anno MDCXXXV. opus de generibus & modis muſicis, de quo ſic judicatum eſt (*), rem ab aliis fruſtra

(*) *Inſtar omnium erit judicium Jo. Baptiſtae Martinii Franciſcani hominis, muſicae doctrinae omnium peritiſſimi, qui de hoc aliiſque Donii ſcriptis his verbis pronuntiavit*: Non è facile, *inquit ille*, ad eſprimere la profondità, colla quale il Doni penetrò la muſica Greca sì teorica, che pratica, sì vocale, che ſtrumentale col rintracciare i ſenſi i più oſcuri dei Poeti e Filoſofi, rilevarne dai monumenti antichi le più minute circoſtanze, riſchiararne dagli antichi ſcrittori le coſe le più dubbioſe, dimoſtrando tutte quelle parti della Greca muſica, che poſſon ritrovarſi e ridurſi alla muſica de' noſtri tempi. E per ciò che riguarda la teoria della muſica Greca, quali diligenze, quali ſcoperte egli non fece per illuſtrarla, e porla nel ſuo vero lume, ſepolta eſſendo ſtata per tan-

tentatam sic praestitisse, ut quae jacebant in tenebris de modis Doriis, Phrygiis, Ly-

---

ti secoli in una profonda oscurità, dalla decadenza del Romano Impero sino ai due secoli XIV. XV.? E non ostante tutti gli sforzi e diligenze usate dagli scrittori del secolo XVI. Zarlino, Salinas, Galilei, Fogliani, Bottigari e alcuni altri, pure molto vi restava da illustrare, e sopra tutto da distinguere, quanto della Greca musica poteva alla nostra applicarsi. Non è possibile in poche righe esprimere le osservazioni, le deduzioni, i precetti da esso rilevati spettanti alla musica pratica, ma singolarmente alla Drammatica de' Greci, il rinovamento della quale è tutta gloria della città di Firenze. Convien dire che questa è quella parte, sopra di cui il nostro Autore ha fatto profonde meditazioni, e smidollato quanto di più raro è stato insegnato e praticato dai Greci per applicarlo, per quanto sia possibile, alla nostra musica teatrale. Bel vantaggio per i compositori di musica de' nostri tempi avere alla luce un Autore unico e ricco di quanto richiedesi per trattare degnamente e illustrare un sì difficile argomento.

diis ceteriſque hujuſmodi noſcerentur, & ad recentioris muſicae uſum transferri poſſent. Rei utilitas & novitas facile ipſum in eam mentem impulerunt, ut quae pluribus docuerat, coarctaret, hiſque nonnulla adderet, quae eamdem incudem dies noctesque tundenti occurrerunt (*). Quod exiſtimabat ſcenicam noſtratem muſicam Graecae notitia perfici poſſe, eo maxime intendit a-

(*) *Sic opus Barberinio Card. nuncupatum inſcribitur*: Compendio del trattato dei generi e dei modi della muſica con un diſcorſo ſopra la perfezione dei concenti, ed un ſaggio a due voci di mutazioni di genere e di tuono in tre maniere d' intavolatura; ed un principio di madrigale del Principe ridotto nella medeſima intavolatura. *Idem volumen continet*, Diſcorſo ſopra la prefezione delle melodie, o de concenti, nel quale ſi ſcoprono, o conferiſcono inſieme le perfezioni ed imperfezioni de' due generali ſtili della muſica, moſtrandoſi, come in molte coſe ſi potrebbero migliorare e rimettere in uſo le rapſodie, cioè recitazioni col canto dei Poemi Eroici.

nimum, ut ratio vera restitueret, quod consuetudo vitiosa detraxerat. Quoscumque autem locos attigit, unde ad Graecorum, quantum fieri potest, imitationem, aurium voluptas capi, & rerum natura exprimi possit, magna eruditionis copia, & utilissimis praeceptis exornavit. Quare minime mentiar, si affirmavero genus hoc scriptionis de musica Dramatica totum esse proprium Florentinorum, quod ejus nulla habebatur ars antequam Galilejus, Mejus, Jacobus Perius, qui modos fecit fabulae Daphnidis ab Octavio Rinuccinio versibus Italicis exaratae, Donius, aliique sua scripta vulgassent. Dum discutiebat ea, quae erant obscura, & ea, quae erant eminentia & prompta sumebat in enumerandis describendisque musicis organis, eorumque usu declarando, novum per se se invenit, cui lyrae Barberiniae nomen fecit. Istud aereis, & nerveis fidibus exornatum plurimum commendabat soni suavitas atque amplitudo, formae concinnitas, copia phtongorum, ac pulsandi facilitas, ut non immerito sibi polliceri videretur non inter postrema suae aetatis in-

venta numeratum iri. Moliebatur etiam, ut aliis organis musicam artem locupletaret, restitueretque Pythagorae Zacynthii tripodem, cujus meminit Athenaeus, veterem cytharam, lyropanduram (quam *violam* esse suspicabatur) barbitum teleosymphonum, testudinem panharmoniam, panduram diharmoniam, ceteraque hujusmodi, quae vel manu, vel spiritu sonum fundebant. Sibi gratulans quod tot modis praestantiam veteris musicae declarasset, & recentiorem utilissimis praeceptis atque inventis ditasset, ex his omnibus nonnulla intelligenter legit, quae religioni in Dei Sanctorumque laudibus canendis servire posse putavit. Hoc de argumento plura tetigerat disserens de sacra musica in Academia Basiliana (*) in qua munere Secretarii funge-

(*) *Haec Academia idcirco Basiliana dicta fuit, quod in coenobio Monachorum S. Basilii habebatur. Instituta fuit an.* 1635. *patrono & auspice Barberinio Cardinali, ad eum finem, ut sacra, & moralia studia e Graecis fontibus petita prove-*

batur, dumque illius originem quaesivit, & per quos, quibusque temporibus inventa & perfecta fuerit, satis perite & erudite docuit rationem psalmodiae Graecorum retinendae, & ad Latinae liturgiae usum transferendae. Nam omnis artis musicae, ut & aliarum multarum principem & magistram esse putabat Graeciam, quare cum auctor fuisset Barberinio Cardinali agendi Senecae tragoediam Troas inscriptam in illius domus theatro, modos ad eam, quae praeceperat, accommodandos curavit. Per haec, hominibus doctissimis suffragantibus, se maximam laudem consecutum esse sperare poterat, nihilo tamen minus invidorum reprehensiones ferre debuit, qui in omni sermone spargebant, tot labores, tot studia illius ad nihilum ventura, nec inventum iri, qui in modis faciendis artem exquireret a Grae-

---

herentur. Ob Donii ab urbe discessum ejus gloria plurimum imminuta fuit, quemadmodum testatus est Lucas Holstenius litteris datis ad Donium ipsum.

cis, quorum, quae ad nos pervenerunt, scripta tantum habent vel obscuritatis, vel erroris, ut nullo esse possent usui, quare suam sibi haberet Donius prudentiam, quae neque Romae, neque extra Romam usquam esset valitura. Graviter ille his de rebus questus est, dumque extollebat labores suos (*), minime dubitabat fore tempora

(*) *In Praefat. ad Lectorem*. E venendo al successo, che fin ora hanno avuto questi miei scritti, quando avverrà, che sia bastantemente conosciuta l' utilità, che contengono, non mancherà forse chi si stupisca, che in un secolo così erudito, nel Principato di un sì gran Pontefice, e singolar fautore degl'ingegni, in una Roma, dove tanti gran personaggi risiedono, e dove ogni nobil professione, e la musica principalmente è in tanta stima, abbiano sino al presente fatto così poco progresso, e che non si sia fabbricato almeno una ventina di strumenti; ma cesserà poi ogni stupore in loro, quando averanno compreso quanto sia stata grande d'alcuni la malignità e l' invidia verso di me, e come in vece di secondare i

quae debitam illis laudem impertirent. Musicis profecto scriptis cetera, quae exaraverat, minora putabat, ex iisque nonnulla fuerunt, quae idcirco suscepisse videtur, ut relaxaret ac remitteret animum in maximis illorum occupationibus. Hujusmodi sunt commentaria *de Reliquiis Christianorum apud Maumethanos*, & *de Reliquiis Ethnicorum apud Christianos & Maumethanos*, in quibus non modo ea, quae a Botero aliisque referuntur de Jacobitis, Nestorianis, Dioscorianis ac ceteris hujus furfuris sectis

---

miei disegni, dal che non potevano sperare se non onore e profitto, abbiano più tosto cercato per ogni verso d' attraversarli con screditarli, massimamente appresso i Grandi, che coll' autorità loro gli avrebbero forse ajutati e promossi, dove io posso dire con verità di non avere avuto un minimo ajuto nè di opera, nè di consiglio, o sia nel comporre quest' opere, o nella fabbrica degli strumenti, ma il tutto mi è convenuto cominciare, proseguire, e terminare a costo delle mie vigilie, sudori e facoltà.

novis monumentis ex ineditis libris excerptis illustrare, sed & eorum mores, dogmata, litteras ac linguam declarare sibi proposuit. Homo, cujus studium, vitaque omnis in rerum cognitione versata est, quanquam, ut diximus, allata ei necessitas fuerit subveniendi familiae, non recessit tamen a pristinis occupationibus suis, & ad civium utilitatem suam prudentiam intelligentiamque contulit. Nam cum a Ferdinando II. Magno Etruriae Duce munus illi demandatum fuisset eloquentiam publice docendi in Florentino Lyceo, erudivit multos, quo meliores cives, utilioresque rebus privatis & publicis essent. Prorsus volebat, ut discipuli Graeca cum Latinis conjungerent, atque doctrina instructi, & eloquentia ornati ad rempublicam accederent. Itaque nullum praetermittebat locum, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam ipsius reipublicae, qui ad officia, qui ad exempla & facta illustria pertinebat. Ut otium suum ad negotium civium omnino contulisse videretur, non modo scholam, sed & domum suam fore ludum iis, qui doctrinae stu-

diis & sapientiae dediti essent, declaravit; & quoniam ea est praestantia & amplitudo musicae artis, qualis a veteribus culta fuit, ut non haberet definitam aliquam regionem, cujus terminis septa contineretur, quod in omni propemodum genere elegantioris doctrinae dominari putaretur, hanc aestivis temporibus se quoque traditurum spopondit. Nec defuit Etruscae linguae studiosis, quanquam ingenue fateretur, tum ut ingenio, tum ut muneri suo satisfaceret (mortuo enim Hieronymo Aleandro ab epistolis Latinis Barberinio Cardinali fuit) in eo praesertim se elaborasse, ut elegantiam Latini sermonis assequeretur. Sed quia in illo suo Onomastico exarando multa seposuerat, quae pertinebant ad patriae linguae ortum, ad interpretationem quarumdam vocum, quae obsoletae judicantur, & ad etymologias declarandas, horum, aliorumque hujusmodi copiam se facturum promisit iis, qui in exornando Lexico Etrusco operam ponebant. Exigebat hoc non solum communis patriae studium, sed etiam muneris conjunctio, cum lectus fuisset in Furfureorum, ut aje-

bant, collegium, & amplitudo dignitatis (Consulem dicunt) qua ab Academicis Florentinis decoratus fuit. Optimis hercle temporibus haec fiebant. Nam regnante Ferdinando II. insidebat in omnibus iis, qui litteris se se dediderant, quidam gloriae stimulus, quo dies noctesque concitabantur ad praeclara suscipienda, & cum florerent maxime Galileii ejusque discipulorum opera philosophiae studia, ac summo in honore essent humaniores litterae praeceptis institutisque Marcelli Hadriani, Petri Victorii junioris, aliorumque summorum virorum, quibus Florentia abundabat, & undique ad illam urbem concurrerent, qui vel jactatae fortunae praesidium, quod accidisse praesertim videtur mortuo Urbano VIII. (*) vel

---

(*) *Extant litterae Lucae Holstenii ad Donium datae Romae prid. Non. Decemb. 1644. in quibus de Abrahamo Echellensi, qui suasu Donii ipsius invitabatur ad profitendas Orientales litteras in Etruria, aliisque doctis viris haec ait.* Io stavo aspettando quello che VS. per parte

instrumenta doctrinae quaerebant, id curabat scilicet Donius, ut per se quoque tanti imperii splendor augeretur. Plures coram ipso Principe, ejusque fratre Leopoldo in Furfureorum coetu habuit dissertationes de ratione agendi tragoedias & comoedias apud veteres, de rapsodia veterum Graecorum, de henharmonico genere, deque organis ad illud obtinendum idoneis, post quod toto animo incubuit ad absolvendos libros tres in disputatione & dialogo exaratos, atque his

---

del Serenissimo Principe Leopoldo sia per comandarmi, ed esso Signor Abramo ad ogni cenno sarà prontissimo di venirsene a cotesta volta, poichè quì trova pochissima sodisfazione, essendoli levata la provvisione, che ebbe da Palazzo, come interprete de' Levantini, poichè nella riforma della Corte, li primi che sono stati riformati e scassati, sono tutti i letterati, come Scioppio ed altri, e nella Sapienza si sopprimeranno le letture di lingua Greca, Ebrea, Arabica, ed altre simili. V. S. faccia il prognostico.

his verbis inscriptos: *De praestantia veteris musicae, in quibus vetus ac recens musica cum singulis earum partibus accurate inter se conferuntur, adjecto ad finem onomastico selectorum vocabulorum ad hanc facultatem cum elegantia & proprietate tractandum*. Magna & copiosa fuerunt, quae in hos dialogos retulit, ut probaret, Graecos a quibus philosophiam & omnes ingenuas artes habuimus, in musica quoque sic praestitisse, ut eos aliqua in re, multo labore & inter densissimas tenebras a se quaesita, imitari quidem, aequare autem nunquam possimus. Ne vero iis tantummodo artibus serviisse videretur, in quibus libera quaedam animi oblectatio quaeritur, postremo tempore agriculturae dedit operam, quod omnium rerum, ex quibus utilitatem capimus, nihil illa sit melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Tria itaque exaravit opuscula, quorum alterum est de nova serendarum frugum methodo, alterum de nova conserendae vineae methodo, tertium de cultura per ignem, atque ea ad Ferdinandum II. misit, cui nil

tam regale videbatur, quam studium agri colendi. Iis minime usitata & trita praecepta tradidit, sed de vitium putatione, & stercoratione nova docuit, & novum invenit aratri genus, cujus utilitatem usus confirmavit. Res rustica & domestica gratissima erat homini, qui auctus jam liberis (nam an. MDCXLI. postquam in patriam redierat, in matrimonium duxit nobilem feminam Margheritam Fiascam) his non tam gloriam multis nominibus, multisque laboribus a se quaesitam, quam subsidia ad vitam honeste sustentandam relinquere optabat. Haec autem ut dulciora fierent & bonis moribus & artibus, precabatur a Deo, ut tantum sibi vitae curriculum concederet, quod iis educandis satis esset. Sed, ut saepe sunt fallaces hominum spes, & inanes cogitationes, an. MDCXLVII. cum coepisset lenta & tabifica febri conflictari, Kal. Decembris vitae cursum implevit. Ejus cadaver cum pompa exequiarum conditum fuit in sepulcro majorum, quod est ad pervetustum templum, cui Abbatiae Florentinae nomen. Plura non dicam de ejus moribus, a qui-

bus omnes fidei, integritatis, humanitatis & pietatis petere exempla potuissent, deque ejus in rem litterariam meritis, postquam protulero, quae Nicolaus Heinsius vir magnus in primis ad amicissimi hominis memoriam litteris mandavit (*), quaeque mi-

(*) *Extant haec inter poemata ejusdem edita Lugduni Batavorum ex officina Elseviriorum 1653. pag. 115. His laudibus addi quoque possunt, quae Heinsius idem in litteris ad J. F. Gronovium de Donio in haec verba scripsit*. Curae leves loquuntur, ingentes stupent. Heu funestum literatis in Italia viris hunc autumnum! Ut omittam *Jo. Victorium Rossium*, qui se *Janum Nicium Erythraeum* appellabat, Romae e vivis sublatum, Florentiae *Evangelistam Torricellium*, *Galilaei* discipulum, & magno Duci unice carum, Pisis *Vincentium Rinierium*, *Cavalerium* Bononiae, & hos quidem tres postremos, Mathematicos praestantissimos, & scriptis satis claros. Ut, inquam, hos omittam, tibi fortasse vix notos, *Petrum Servium*, optimum, amicissimumque mihi ho-

nime assentatorie dicta putabis, quippe de mortuo, atque alienigena. Sunt autem hujusmodi.

---

minem, & in flore aetatis raptum, vix deflèram, quum ecce vulnus novum, & ceteris longe atrocius, de *Donio* nostro funestum nuncium. Fuit nobis vir ille summus, fuit, amicissime *Gronovi*, pridie Kal. hujus mensis vita defunctus. At ego calamitatis hujus ignarus, ipso illo die, & eadem ferme, qua excessit, hora, litteras ad illum exarabam, affectus erga ipsum tui indices. Nil profecto restat miserae Italiae, praeter sordes, tanto viro sublato, si unum alterumque ex eruditioribus excipiamus. Primas tamen *Donius* noster tenebat. De morbo ejus nihil intellexeram, nisi quod nobilissimus *Cavalcantius* litteris suis mentionem de febricula, qua laboraret, inseruisset, quae litterae, diebus quinque, aut sex ante mortem amici nostri exaratae, & fatalî die mihi redditae sunt. Proximo septiduo a *Valerio Chimentellio*, ecce litteras alias, quibus magno in periculo eum esse moneret: postero die tertias a *Carolo Datio*, quae me prorsus

Jo. Bapt. Donio

Patricio . Florentino

Viro . inter . doctos . optimo

Inter . bonos . doctissimo

Musicae . veteris . et . antiquitatis

omnis

magno instauratori

immatura . morte . sublato

---

perdiderunt, funestas plane, & magnae calamitatis nuncias. *Datium* illum, amicissimum mihi juvenem, impense diligebat, cui & potissimam curam scriptorum suorum edendorum moriens mandavit. Curabo, ut apud nos ea prodeant, si inter Italos typographi non inveniantur. *Gaddius* etiam graviter aegrotavit, melius tamen nunc habet. Ignosce, quaeso, si breviter nunc tecum ago: totus enim in dolore etiamnum versor &c. Patavii CIↃIↃCXLVII. V. Eid. Decembris.

Scientiarum Pectus omnium sedes,
Vindex vetusti temporis, sui lumen,
Peitho Pelasga, Suada Romuleae gentis,
Etrusca Siren, Nectar aureae vocis,
Sal Gratiarum, mens leporis antiqui,
Cortina Phoebi, musici Chori plectrum,
Minervae amores, ipse candor & virtus.
Haec, pluraque his, hoc clausa nunc ta-
cent saxo.
Dixi, Viator, multa, nil tamen dixi.

OPERA EDITA

Epinicium Ludovico Francorum Regi ob receptam Rupellam, repulsamque Anglorum classem: Romae ex typographio Rev. Cam. Apostolicae 1628. in 8. adjecta ode Pindarica in idem argumentum, ac praefatione habita XVI. Kal. Januar. in Academia Humoristarum ante recitationem ejusdem ode.

Carmina quaedam ad diversos: Romae apud impressores Camerales 1628. in 8. & 1629. in 4.

Corona Myrthea in nuptiis DD. Thaddaei Barberini & Annae Columnae: Romae apud eosdem 1629. in 8.

Digitized by Google

Compendio del Trattato dei generi e dei modi della musica di Gio. Batista Doni con un discorso sopra la perfezione de' concenti, ed un saggio a due voci di mutazione di genere e di tuono in tre maniere d'intavolatura, ed un principio di madrigale del Principe ridotto alla medesima intavolatura: in Roma per Andrea Fei 1635.

Annotazioni sopra il compendio de' generi e de' modi della musica di Gio. Batista Doni, dove si dichiarano i luoghi i più oscuri, e le massime più nuove ed importanti si provano con ragioni e testimonianze evidenti di autori classici; con due trattati, l'uno sopra i tuoni e veri modi, l'altro sopra i tuoni e armonie degli antichi; e sette discorsi sopra le materie più principali della musica, e concernenti alcuni strumenti nuovi praticati dall' Autore: Roma nella Stamperia di Andrea Fei 1640. *Dissertationes epistolares, quae hoc opus comitantur, hae sunt.*

Trattato dei tuoni, o modi veri al Sig. Pietro della Valle.

Trattato II. dei tuoni o armonie degli antichi al Rev. P. Leon Santi.

Discorso dell'inutile osservanza dei tuoni, o modi odierni al Sig. Galeazzo Sabbatini.

Discorso sopra le conseguenze al P. Marino Mersenne.

Discorso sopra la divisione eguale attribuita ad Aristosseno al Sig. Pietro de' Bardi de' Conti di Vernio.

Discorso sopra il violone Panarmonico al Sig. Pietro della Valle.

Discorso sopra il violino diarmonico, e la tiorba a tre manichi ai Sigg. Domenico e Virginio Mazzocchi.

Discorso sopra il recitare in scena con l' accompagnamento d' instrumenti musicali al Sig. D. Camillo Colonna.

Discorso della Ritmopeia dei versi Latini, e della melodia de' cori tragici al Sig. Gio. Jac. Buccardi.

Deux Traites de musique. I. Nouvelle introduction de musique, qui montre la reformation du systeme, ou echelle musicale selon la methode ancienne & meilleure, la facilitè d' apprendre toutes sortes de chant par le retranchement de deux syllabes *ut* & *la*, une nouvelle maniere & plus aisèe de tablature harmonique, & un nouveau reiglement des avantexercices de la musique.

Abregè de la maniere des tons, qui monstre en peu de mots tout ce que l' Auteur à traitè plus amplement en plusieurs discours Italiens

touchant le tons, ou harmonies des anciens par luy heureusement renouvellèes, & remises en usage.

Orazione funerale delle lodi di Maria Regina di Francia e Navarra: Firenze per Amador Masi, e Lorenzo Landi 1643. in 4.

Dissertatio de utraque Poenula: Parisiis apud Sebast. Cramoisy 1644 in 8.

De praestantia musicae veteris libri tres, totidem dialogis comprehensi, in quibus vetus ac recens musica cum singulis earum partibus accurate inter se conferuntur, adjecto ad finem onomastico selectorum vocabulorum ad hanc facultatem cum elegantia & proprietate tractandam pertinentium, ad Eminentiss. Card. Mazzarinum: Florentiae typis Amatoris Massae Foroliviensis 1647. in 4.

De restituenda salubritate agri Romani opus posthumum Urbano VIII. Pont. Max. jampridem ab Auctore inscriptum, nunc vero ab ejus Filiis dicatum Eminentiss. & Reverendiss. Card. & Illustriss. & Excellentiss. Praenestes Principi, Ereti &c. Barberinis: Florentiae ex typograph. sub signo Stellae 1647. in 4.

Inscriptiones antiquae nunc primum editae, notisque illustratae & XXVI. indicibus auctae ab Ant. Franc. Gorio publico Historiarum Professori: accedunt Deorum arae tabulis aereis in-

cisae cum observationibus: Florentiae 1731. ex regia typographia Magni Ducis in fol.

Jo. Baptistae Donii Patricii Florentini Lyra Barberina ΑΜΦΙΧΟΡΔΟΣ. Accedunt ejusdem opera, pleraque nondum edita ad veterem musicam illustrandam pertinentia, ex autographis collegit, & in lucem proferri curavit Antonius Franciscus Gorius Basilic. Bapt. Flor. olim Praep. Distributa in Tomos II. absoluta vero studio & opera Jo. Baptistae Passerii Pisaurensis cum Praefationibus ejusdem: Florentiae typis Caesareis an. 1763. in fol. *Volumen II. hunc prae se fert titulum:*

De' Trattati di musica di Gio. Batista Doni Patrizio Fiorentino Tom. II. ne' quali si esamina e dimostra la forza, e l' ordine della musica antica, e per qual via ridur si possa alla pristina efficacia la moderna, raccolti e pubblicati per opera di Anton Francesco Gori già Proposto della Basilica del Batistero di Firenze e Pubblico Professore d' Istorie, aggiuntovi un lessico delle voci musiche, e l' indice generale, per opera e studio del P. Maestro Gio. Batista Martini Minor Conventuale, e celeberrimo Professore di Musica in Bologna: Firenze 1763. in fol.

Orazione detta nel prendere il Consolato dell' Ac-

cademia Fiorentina: *Extat in Salvini Salvinii opere, quod inscribitur*: Fasti Consolari.

Epistolae tum Italicae, tum Latinae Donii ad amicos, & horum ad eum: *Extant in fine operis, cujus est titulus*: Ang. Mar. Bandinii Commentariorum de vita & scriptis Joannis Bapt. Donii Patricii Florentini, olim Sacri Cardinal. Collegii a secretis Libri V. adnotationibus illustrati ad Silvium Valenti S. R. E. Presbyt. Card. ampliss. Florentiae typis Caesareis 1755. in fol. *Ex his commentariis intelliges, quam multa inedita reliquerit opera Donius, quorum nonnulla aut absoluta, aut inchoata ab ipso fuerunt.*

ANGELUS FABRONIUS

FERDINANDO FOSSIO

Magliabechianae Bibliothecae

Praefecto S. P. D.

Omnes homines, qui se se ceteris praestare student, summa ope niti decet, ut in se perficiant divinum illud munus, quod ratio dicitur, & a quo uno lucem lumenque vitae accipimus. Hoc a belvis distinguimur, & cum ipso Deo quasi cognatione quadam conjungimur, quique ex illo gloriam quaerunt & obtinent, eo in omni studio spectantes maxime, ut quae vera, recta, & honesta; atque a vulgari intelligentia remotiora sunt assequantur, eos sapientum nomine dignos judicabimus. Praeclarum est studia & artes

noscere, quae sunt nobis Graecorum Latinorumque monumentis disciplinisque traditae, verum nisi exquisita ratione perscrutabimur per quas vias ad id, quod voluere, pervenerint, quid omnium laudem ac fidem mereatur, quid moribus, quid majorum institutis, quid philosophorum scholis convenerit, quid sit id, in quo vel insignitae, vel tenues obscuraeque apparent veritatis notae, quid genuerit falsas opiniones, quid sit imitatione dignum, quid ad praevidendum & judicandum in omni negotio gerendo conducere possit, illa tenere parum proderit. Haec omnia praestat ars illa, quam dicimus philosophiam, omnium quidem nobilissima, qua ceterae communi quodam quasi vinculo inter se contineri videntur. Hujus ope vel ipsi grammatici, quamvis multorum tenuitas, vel potius insulsitas irrideatur, praeclara & utilia docere nos poterunt, de linguarum natura, origine, usu, proprietate, mutationibusque, quid sit id, in quo multae, quamvis inter se diversae, conveniant, quid casus, quid necessitas, quid locorum natura, quid populorum mores & fortuna effecerint,

quid ferendum sit, quid non, &, ut alia plura praetermittam, quid genuerit quarumdam copiam, &, ut ita dicam, libertatem, quarumdam vero inopiam & servitutem. Ipsa quoque historia, quam veritatis lucem, & vitae magistram appellare solemus, si careret philosophiae subsidio, manca quodammodo & imperfecta esset, & infimum inter doctrinas omnes locum occuparet. Cum primum Aristoteles animum ad rhetorices praecepta tradenda appulit, caussas sibi investigandas esse putavit, ob quas id, quod dicitur, maxime placet, & aures tenet, & per animos peragrat, & sensus mentesque pertractat, quod quia plane cognosci & percipi non potest sine magna multiplicique disciplina, & multis copiosis variisque rationibus, quae ad animi affectiones, omnemque hominum naturam pertinent, in his exponendis explicandisque adeo immoratus est, ut ex ejus praeceptis facile appareat in oratore perfecto inesse omnem philosophorum scientiam. Qui judicia exercent, in quibus de aequitate & jure certatur, si nil aliud tenerent, nisi quod a ceteris pronunciatum fuit, nec

discutere valerent, quid fixum & in perpetuum ratum esse oporteat, quae sint justitiae fontes & fundamenta, quae ratio fuerit & jubendi & vetandi, quae ad naturam apta, quae divinae voluntati consentanea, quaeque jurisconsultorum ingeniis corrupta esse videri possunt, nunquam cum dignitate munus suum sustinebunt. Porro quae est illa laus, quae peti possit ab iis, quibus infelicissime aetas haec nostra abundat, qui novam quamdam philosophiam finxerunt, quae confundit vera cum falsis, spoliat nos judicio, privat approbatione bonorum, atque orbat eo virtutis sensu, quem ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus? Hos tanquam pestem & perniciem reipublicae & litterarum vitabimus, & illud tenebimus semper, quod praeclare usurpatum quoque fuit a Cicerone, sapientiam omnem tribus in rebus maxime verti, in perspiciendo quid in quaque re verum sit, & hominum naturae accommodatum, in cohibendis turbatis animi motibus, & in tribuendis officiis iis, quibuscum congregamur. Non ille honorem, non existimationis bonae fructum unquam

consequetur, qui in omni studio, omnique actione id non spectat, quanquam hanc vim a natura habuerit, ut nihil audierit, vel legerit, quod in memoria penitus non insederit, & ex aliorum aut factis, aut dictis, aut eventis omnis rei petere exempla ac testimonia possit. Sane quid juvat infinita complecti memoriter, nisi observando notes, quod lumen adhibendum sit rebus, quod aptum & congruum, & quid sit id, quod valere possit in omni genere negotiorum atque studiorum? Non tantam quidem librorum copiam, quibus non ornantur, sed onerantur bibliothecae, haberemus, si in iis conficiendis scriptores, duce philosophia, communem utilitatem unice respexissent, & ab iis exarandis prorsus se abstinuissent, qui ea facultate minime praediti fuere, ut summa animi ratione, quae tractanda suscipiunt, omni ex parte comprehendant, quique non satis putarunt scire quid ceteri & senserint, & dixerint, sed in rerum natura per se investiganda atque contemplanda omnem aetatem contriverunt. Haec mecum ipse reputans diu anceps fui, num in Antonii Maglia-

gliabechii vita declaranda operam ponerem, quamvis non modo non contemnerem, sed etiam admirarer copiam varietatemque rerum, quas sibi memoriae subsidio, quae prorsus divina in illo homine fuit, sibi comparavit. Feci tamen suasu tuo, qui id deberi putasti muneri, quod sustines, praefectus bibliothecae, quam ab ejus liberalitate obtinuimus. Sed vereor, ne quae in eo reprehendenda putavi, malevolentia dicta judicentur: nam sunt, qui pleniore ore omnia laudant, quorumque opera in eo maxime versatur, ut nullo delectu, nulloque adhibito judicio, testimonia specie gloriosa, re vera assentatione infuscata undique colligant; sunt & alii ita natura comparati, ut aequo animo nunquam accipiant, quae supra vires eorum laudaveris, ex quo fit, ut in primis arduum videatur res gestas scribere. Quod nonnulli non cessaverint Magliabechio obtrectare, hoc parvi fecissem, quia hoc commune est vitium in magnis parvisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit; verum haud illi hoc ignoscendum existimavi, quod nimis superbiens ſama. quam ab alie-

nigenis obtinuerat, infra se suos cives duceret, & libenter petulanterque de iis detraheret, quos doctrinae laude emergere altius intuebatur. Tu porro statues, num aequus fuerim judex, & num tibi, qui me ad hanc scriptionem vocasti, consilii tui sit poenitendum. Vale.

Pisis VIII. *Kal. Junias* MDCCXCVIII.

Digitized by Google

ANTONIUS MAGLIABECHIUS

Si magnos viros fama metimur, perpaucos sane Antonio Magliabechio pares, neminem superiorem ponemus. Nulla enim regio ab Etruria adeo remota fuit, quo ejus nomen minime pervenerit. Nam cum incredibili esset memoria, & omne id teneret, de quo audierat & legerat, nullumque illi vacuum tempus esset a lectione, ut nec quies, nec remissio, nec ullum oblectamentorum genus illum delectaret, tantam eruditionis vim sibi comparavit, ut difficile esset reperire, quod illi esset incognitum. Ortum is habuit Florentiae V. Kal. Novembris an. MDCXXXIII. parentibus Marco Magliabechio & Junipera Baldoriotta. Quia pater mature decesserat, mater sane castissi-

Digitized by Google

ma & prudentissima femina sic educandum filium putavit, ut vel ab ineunte aetate Dei cultum, & puram religionem susciperet, & quaestum ex liberali aliqua arte faceret. Nam ejus fratrem nomine Jacobum juris prudentiae destinaverat, a qua famam & honores in Pontificia aula obtinuit. Commendavit itaque Antonium Matthaeo Rossellio, cujus tum erat magnum in pictoribus Florentinis nomen, ex cujus schola ad aurificis officinam venit. Huic arti minime sic navavit operam, quin multas horas consumeret in lectione librorum, qui ad ejus manus ſorte perveniebant, tacite querens de ſortuna, vel potius de matris imperio, quod minime sibi liceret totum se litteris dedere. Fecit hoc postquam ipsa mater e vivis abiit, tanto quidem successu, ut e carceribus vix egressus palmam jam accepisse videretur. Multum se debere grate profitebatur Joanni Fabrio, a quo rudimenta Latinae linguae acceperat, Andreae Torsio Bibienensi, quem moderatorem suorum studiorum habuerat, Michaeli Erminio, a quo notitiam & usum multorum librorum (erat

Digitized by Google

enim Leopoldo Mediceo a bibliotheca) obtinuerat, & Carolo Datio, quem unum consiliarium & patronum pro eximia illius doctrina & auctoritate sibi adoptasse videbatur. Quanquam incredibili pene labore in litteras incumberet Antonius, uni tamen disciplinae non sic dedit operam, ut in ea excelleret; multa & varia noscere volebat, & helluo librorum eo spectare videbatur, ut de omni re, quae litteris esset consignata, satis erudite disserere posset, in quo summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus. Si scire concupivisses in qua aetate primus disciplinarum omnium ortus & maturitas extitisset, & quando, & per quos ad summum pene fuissent perductae; si de rebus magnis & memoria dignis ordinem temporum, consilia, acta, eventus, & non solum quid actum & dictum fuerit, sed etiam quomodo, caussas omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis, hominumque non solum res gestas, sed etiam qui fama & nomine excelluerint, & de cujusque vita & moribus ab ipso quaesiisses, ea profecto

audivisses, quae cumulate explevissent desiderii tui expectationem. Si qua vero de re scribendum suscepisses, ab eoque sedes, & quasi domicilia argumentorum petiisses, commonstrabat statim quos auctores consulere necesse esset, & digitum, ut fieri solet ad fontes intendens, & auxilia & copias suas ultro promittens, eo rem deducebat, ut non mediocri ex parte confecta esse videretur. Tanta vis ingenii, tantaque liberalitas hominibus litteratis erat notior, populo vero & aulicis obscurior. Nam cum solitudine aleretur, nemini assentaretur, neminem salutaret, celebritatem vitaret, nihilque publicam in lucem emitteret, ex quo de ejus doctrina judicari posset, & non Stoice modo, sed pene Cynice viveret, non plausus, sed irrisionem excitare velle videbatur. Coepit autem clarescere, postquam a Leopoldo Mediceo, cui commendatione & testimonio Datii innotuit, privatae suae bibliothecae, & a Cosmo III. Magno Etruriae Duce Regiae, quae Palatina vocabatur, praefectus fuit. Cum vero invitabatur ad prodendam in omnem posteritatem me-

moriam ingenii sui, non quod alii laudaturi essent se praestare velle ajebat, sed quod esset naturae suae accommodatum, quae cum omnem contentionem aversaretur, nil tam verebatur, quam obtrectatione & invidia, quae solet lacerare plerosque eorum, qui scriptis famam quaerunt, a suscepto itinere impediri. Ego quidem arbitror ab operibus conficiendis, emittendisque ipsum refugisse neque inertia, neque modestia, neque tranquillitatis studio, sed hac una de caussa, quod cum satis magnam adeptus esset gloriam, eam etiam majorem visum iri arbitrabatur, si in existimantium arbitrium sua scripta minime pervenissent. Accedit, quod illa ars, quam sibi totam philosophi assumunt, quae res dissolutas, divulsasque conglutinat, & ratione quadam constringit, & acri judicio perpendit, ut & altera illa, quae docet inventa non solum disponere, sed etiam ornare, non sic erant in ipsius potestate, ut per eas scripta sua posteritati commendari posse speraret. Atque interea dum passim carpebat, & colligebat undique, quae ad eruditionem perti-

nebant, & suavitate perfundebatur multa & varia noscendi, aliena studia sic fovebat, ut non minorem utilitatem is attulisse litteris videatur, quam ii, qui toti sunt in operibus exarandis. Profitebatur Norisius Cardinalis se quidquid sciret, & quidquid esset debere Magliabechio, qui sane auctor illi fuit, ut operam suam praeberet Academiae Pisanae, hancque praeclaris scriptis illustraret, quibus in conficiendis nullum fere verbum solebat ponere, de quo minime consuleret Magliabechium suum. Magnum se quoque attulisse ornamentum ipsi Academiae jure meritoque gloriabatur, quod effecisset, ut in suis numerare potuisset Jacobum Gronovium, quem commorantem in Etruria omnibus beneficiis cumulavit, absentem vero suavissime diligentissimeque coluit. Gratissimo animo homo Batavus nomen Magliabechii celebravit, de quo solebat affirmare, tam ingratas litteras non repertum iri, quae non ejus gloriam immortalitatis memoria prosequerentur. Sane multum erat in Batavia Magliabechii nomen. Nulla enim erat iis temporibus Europae re-

gio, in qua ferventius studia litterarum colerentur. Incredibile autem est quot illius provinciae doctissimis viris suppeditaverit subsidia, qui in edendis, interpretandis, exponendisque veterum Graecorum Latinorumque scriptis, atque in colligendis antiquitatis monumentis operam ponebant. Harum rerum caussa qui in Italiam veniebant, nil potius habebant, quam Magliabechium convenire, ejusque consilia exquirere. Nemo vero ab illo discedebat, qui non admiraretur ingenii vim, & potentem mentem, quique non intelligeret, ex illius animo, quod semel esset infusum, nunquam effluere potuisse. Difficile esset enumerare quot viri non ex Batavis solum, sed etiam ex ceteris cultioribus Europae nationibus, quantaque in studiis suis varietate & copia fuerint, qui vel coram, vel per litteras familiaritatem, consilia, & rerum a vulgari prudentia remotarum notitias a Magliabechio requisierint. Si quid in controversiam ac disceptationem vocabatur, ejus judicio omnes stare videbantur, si qua dubitatio accidebat, ex ejus sententia definiebatur,

si quid latebat obscuritate involutum antiquitatis, per eum aperiri postulabatur. Una enim vox erat omnium, tanquam ex oraculo emitti, quae ab ipso proferebantur, & si in litteratorum republica instituenda fuisset Dictatura quaedam, hanc illi uni esse deferendam. Erant qui vivam bibliothecam, museum ambulans, ingenii monstrum, eruditionis thesaurum, ac polyhistorem illum appellabant, & multa sane is impleret volumina, qui praeconia eidem ab exteris praesertim hominibus, &, quod sane miraberis, vel mathematicis, philosophis, anatomicis, aliisque hujusmodi disciplinarum, quas ipse ignorabat, cultoribus tributa colligere vellet. Consuluit quidem ejus famae & litterarum bono Joannes Targionius, quinque editis voluminibus epistolarum clarorum Venetorum, Belgarum & Germanorum ad ipsum, quae, qui legat, non multum desiderabit litterariam historiam contextam illorum temporum, illarumque nationum. Mens illi erat alia hujusmodi plura vulgare, quod tamen minime praestitit, quanquam in immensa prope harum epistolarum

Digitized by Google

copia quodcunque placeret eligendi illi potestas esset. Nemo enim erat, qui cum omnibus Musis se commercium habere non putaret, Magliabechium alloquens & interpellans; is vero mirandum in modum pollicebatur & profitebatur studium suum ad rem litterariam juvandam, cujus rei monumenta sunt amplissima non modo in iis, quas memoravi, epistolis, aliisque, quas alii ediderunt (*), sed etiam in complurium doctissimorum virorum scriptis. Quid de eo non praedicavit Leibnitius, aliique plures, qui in re diplomatica, numismatica, chronologica atque historica illustranda adlaborabant? Quid non Oligerus Jacobaeus, cum ab ipso donum habuisset quinque librorum Florenti-

(*) *Inter epistolas ad Justum Fontaninium editas Venetiis an. 1762. plures extant Magliabechii ad ipsum. Nonnullas quoque vulgarunt, qui Prosas Florentinas edendas susceperunt, vulgarunt & alii, & si hasce epistolas excipies, nullum aliud extat monumentum doctrinae & ingenii illius.*

norum historiae a Bartholomaeo Scala Latine exaratae, quos Romae an. MDCLXXVII. vulgavit, ipsique nuncupavit? Quid non Christianus Daumius ob acceptum munus carminum Latinorum Henrici a Septimello, rerumque, quae ad hujus vitam declarandam pertinebant (*)? Quot eum ornavit laudi-

(*) *In epistola ad Franciscum Mariam Mediceum Cardinalem queritur de Mabillonio, quod se editorem dixerat horum carminum, idcirco quia in his erant plura, quae acerbissime Pontifices, & Pontificiam aulam reprehendebant. Privatus enim Henricus a Florentinorum Antistite Calenzani Paroecia, ut hac suos ditaret, iram suam minime continere potuit in sacrorum moderatores. Quod ad Daumium vero pertinet, is Cygneae, ubi per quinquaginta annos praefuit rei litterariae, obiit an. 1687. antequam editionem absolveret Septimelliensis carminum, de quibus in memorata epistola ad Mediceum Cardinalem haec Magliabechius scripsit*: Non voglio tralasciare di accennarle una notizia curiosa, che mi sovviene ora, ed è, che l' Arighetto, che cita la Crusca, è una traduzione

bus Joannes Buchles, quod effecisset, ut ei Florentiae commoranti abunde omnia essent, quae ad parandam Raymundi Lullii operum editionem necessaria videbantur, pro quo a Saxonico Electore, qui id maxime optabat, aureo torque donatus est? Nemini & concesserunt in efferendis beneficiis, quae a Magliabechio obtinuerunt, Actorum Sanctorum scriptores, quos Bollandistas appellamus, quorum ut esset immortalis memoria, eidem S. Antonini vitam dedicarunt. Neque minus ei gloriosum fuit summis officiis sibi devinxisse doctissimum quemque e Maurinis Monachis, e quibus Montfauconius & Mabillonius Florentiam accedentes fructus maximos ex Magliabechii consuetudine se accepisse grate testati sunt. Fuere & alii plures litteratissimi viri Galli, Belgae, Germani, Britanni, Sveci & Dani, qui

---

del suddetto Arrigo da Settimello fatta intorno all' anno 1340. nel buon secolo .... Chi fosse questo traduttore non si sà.

se beate vixisse affirmarunt, quia cum illo vixerint, seque ditaverint reconditarum rerum copia. Et ne alienigenas tantummodo nominemus, nonne Ciampinius, Fontaninius, Bona, Bacchinius, Pagius, Crescimbenius, Zenus maximis se beneficiis obstrictos Magliabechio dixerunt, a quo quidquid petiissent, quod ex suorum usu esset, statim dabatur? Cum donasset Bacchinium dialogo Benedicti Accolti senioris *de praestantia virorum sui aevi*, effecit sane, ut ex hujus editione, quam Parmae an. MDCLXXXIX. curavit, non parum laudis illi accesserit. Vulgaverat ipse Florentiae, vel Lucae Hodoeporicon Ambrosii Traversarii Camaldulensis, & Dialogum Poggii Bracciolinii una cum oratione Leonardi Aretini adversus Hypocritas, quae editio facta est Lugduni an. MDCLXXIX., deque aliis hujusmodi scriptis, quae latebant in bibliothecis, emittendis cogitabat, sed ita erat natura comparatus, ut raro per se quidquam aggrederetur atque perficeret, libentissime vero iis omnibus adesset, qui ejus implorabant auxilium. Hujus liberalitatis exer-

cendae occasionem saepe illi dabant Medicea, Laurentiana ceteraeque Florentinae bibliothecae, quae non tam ipsi patebant, quam omnibus iis, quos commendatione & testimonio suo dignos judicabat, cumque ex iis alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret, studiis Magliabechii factum affirmabimus, ut res litteraria omnis plurimum lucri fecerit (*). Erant ei quoque

(*) *Multus est Mabillonius in efferendis studiis Magliabechii erga se. Ait enim* (Iter Italic. p. *161.*) *illius litteris innotuisse Magno Duci, qui tum Senis erat, suum in Etruriam adventum, seque* illo duce & monstratore quidquid librorum in bibliothecis Florentinis proposito suo conveniebat, didicisse, *illud & addens*: is enim ea praeditus est sagacitate nihil ut ipsum lateat, ea memoria, ut omnes libros habeat in numerato, ipse museum inambulans & viva quaedam bibliotheca. *Cum Henricus Brencmannus Florentiam advenisset, atque in hac urbe biennium fere commoratus fuisset hac una de caussa, ut codicem antiquissimum Pandectarum Florentinarum, ut vocant, consuleret, multa se a Ma-*

privatae copiae, quas doctis amicis impertiret. Nam cum vindemiolas omnes suas eo reservaret, ut libros & manuscriptos codices sibi compararet, & his donaretur vel ab iis, qui sibi minus noti erant, quique laudis cupidi magnum quaestum existimabant,

---

gliabechio habuisse subsidia grate professus est. Large non minus ejus officia extulerunt Papebrokius & Enschenius lectissimi viri, qui ad quatuor menses Florentiae fuerunt, ut monumenta conquirerent, quae ad Sanctorum vitas declarandas pertinebant. Is & effecit, ut a Bartholomaeo Hermelotio catalogum haberemus Orientalium librorum, qui in Palatina Bibliotheca adservabantur, quem catalogum cum misisset ad Schelornium, qui ipsum edidit inter suas Amoenitates litterarias, *errori caussam dedit, ut a se, qui sane erat Orientalium linguarum prorsus ignarus, confectus crederetur. Porro infinitus essem si eos omnes commemorare vellem doctrina claros homines, quibus suis copiis opitulatus est, quique debitas ejus doctrinae humanitatique laudes tribuerunt.*

bant, si loci aliquid in ejus amicis invenissent, omni librorum copia refertissimam bibliothecam instruxit, in qua cubare, coenare, sedere, ambulare ipsum dixisses. Nullus enim locus erat domus, in qua habitabat, quamque habebat in via, cui a Scala nomen est, qui non oppletus esset libris & chartis nullo dispositis ordine, commaculatisque interdum vilissimis, quibus utebatur, cibis. Sed tanta erat vis illius memoriae, ut statim inveniret, quo indigebat, & paginas teneret, in quibus, quae disputata erant & pertractata, essent quaerenda. Sane nisi summorum hominum prope consensu tantum tributum fuisset Magliabechio, ut ex omnibus iis, qui in artium studiis liberalissimis doctrinisque versabantur, maxime excellere putaretur, diligentius perscrutarer, num artificium quoddam ab illo adhibitum fuerit ad tantam sibi famam conciliandam, praesertim cum ex se nihil pepererit, quod illam confirmare potuerit. Sed si id praestitit, non modo illi ignoscemus, sed magnam etiam habebimus gratiam, quod, qui admirabantur illius scien-

tiam & copiam, non parum ornamenti per ipsum accessisse Etruriae, quae parens, altrix & patria semper habita est ingenuarum artium, & Mediceorum aulae judicarunt. Sane miraberis vel ad ipsius Turcarum Regis aures, si vera narrantur, ſamam pervenisse meritorum Magliabechii; Leopoldum Caesarem nihil non egisse, ut in suis, postquam e vita abierat Lambecius suae bibliothecae praefectus, illum numerare posset; & Ludovicum XIV. Gallorum Regem mandasse multis, ut suis verbis ipsi salutem nunciarent. Hujus celebritatis signa quoque esse poterunt dona imaginum Principum hominum argento vel auro distinctarum, & studia quorumdam (*), ut ipse per eximium

(*) *Testimonia hujus rei extant in epistola XXXV. Leibnitii*; Clarorum Germanorum epistolae ad Magliabechium. *Ejus effigies expressa quoque fuit in aeneo numismate, quod cum dono accepisset Jacobus Gronovius, se tanto gaudio affectum fuisse ait, ut per illud solaretur dolorem, quem turbae molestissimae sibi afferebant.*

artificem Petrum Dandinium pingeretur, in quo laudasses quidem pictoris manum, minime vero formam hominis, in qua digni-tas nulla erat, sed summa deformitas. Eripuit ei libertatem recusandi Leopoldi Medicei Cardinalis jussum, cui quidquid placebat, sibi quoque pro eximia ipsius in se beneficentia placere affirmabat. Quod hic nil tam regale arbitrabatur, quam favere ingeniis, hominesque litterarum gloria claros, vel in remotissimis terris commorantes omnibus officiis prosequi, cum quibus communicare solebat quidquid cum utilitate & fructu per se aliosque gerebatur, ad hanc rem saepe utebatur Magliabechii opera, quem talem esse dicebat, ut in quascumque omnis eruditionis regionesque ejus deferretur ora-tio princeps esse videretur. Non secus sentiebat Cardinalis alter ex eadem Mediceorum familia nomine Franciscus Maria, ad quem plures extant Magliabechii ipsius litterae eruditionis plenae, atque ex his una longissima de opere impiissimo, quod inscribitur *De tribus Impostoribus*, cujus auctorem noscere Cardinalium collegii, qua

convenerant ad novum creandum Pontificem, vehementer intererat. Res hujusmodi quaerentes, quae ad litterariam historiam pertinebant, tam cito, tam copiose docebat, ut plura dici minime desiderasses. Haec si tibi gloriosa Magliabechio videbuntur, ut sunt illa quidem, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus. Illam facilitatem humanitatemque, quam exteri homines in illo tantopere laudabant atque experiebantur, cives sui saepe desiderabant. Nam si quid ab eo petiissent, aures duras, & quasi corneolas illis praebebat; non modo introitu, sed & aditu domus illius prohibebantur (*); vellicabantur etiam interdum mordaci dente, quasi gloria tantum illi licentiae daret, ut non tam libere, quam accusatoriae quae sentiebat pronunciaret, utque prae se ceteros contemneret. Quod irasceretur intem-

(*) *Vel Violanti Beatrici Etruriae Principi domum suam clausisse testis est Lamius in hujus feminae vita.*

pestive accedentibus, & molestis interpellatoribus ejus morositas aliquid excusationis habere potuisset, si quibusdam humanitatis condimentis mitigata fuisset, sed is nihil habere videbatur, quod patriae impertiret. Minime quoque illi ignosces quod simulans amicitiam, & latebrosas vias quaerens exortas inter nonnullos litterarum caussa contentiones aut inflammaverit, aut aluerit, cujus rei in Alexandri Marchetti vita testimonia attulimus. Sic se gerendo in multorum offensionem & invidiam, quam se timere dicebat, incurrit, & plurimum sane negotii habuit in sanando vulnere, quod illi imposuit Jo. Andreas Monelia, vir ambitiosus & petulans, qui plurimum gratia poterat apud Cosmum III., cujusque artibus effectum est, ut huic vel in incontinentiae, quae sane plurimum aberat ab ejus moribus, suspicionem venerit. Magna erat Moneliae contentio cum Bernardo Ramazzinio cujusdam medicae disputationis caussa, qua de contentione Joannes Cinellius (*) ea pro-

(*) Scansia IV. della Biblioteca Volante.

nunciavit, quae vehementissime Archiatri Medicei animum pupugerunt. Minime hic dubitavit, quin Magliabechius ob arctissimam, quae ei intercedebat cum Ramazzinio ipso amicitiam, & in se odium, quod commune erat multis, non modo impulsor & suasor, sed etiam adjutor fuerit hujus censorii judicii, quod quam acerrime vindicandum putavit. Damnatus itaque carcere fuit Cinellius, ejusque opus carnificis manu publice Florentiae crematum. Neque hic constitit ira Moneliae. Prodiit enim libellus acute exaratus de vita Cinellii ipsius & Magliabechii (*), quo uterque foedissimis conviciis proscinditur. Quot clamores Magliabechius, qui nil tam laborabat, quam

---

(*) *Semel iterumque editus fuit libellus hic inscribitur*: Vitae Joannis Cinelli & Antonii Magliabechi, *primum Chaxumii sub signo lapidis Lydii, secundo Fori Vibiorum 1684. in 4. Hujus satyrae auctor fuisse putatur Bartolinius quidam Bargaeus, de quo vide Mazzucchellium* Scrit. Ital. Tom. II. P. II. p. 1066.

ut collectam antea famam conservaret, ediderit facile est divinare. Palam dictitabat, & per litteras quoque Magno Duci, asperius, immo fortasse liberius de detractoribus suis loquens, significavit se deserturum Etruriam, nisi publice sibi satisfactum esset, quod tamen minime praestitit. Curavit quidem ut homines amicitia sibi conjuncti, & ii praesertim, qui sacris erant addicti, quorumque nota erat religio, ea de se testimonia scriberent, quae habuisse vel leviter moderatum & modestum hominem sane puduisset (*). Eo enim assentatio pro-

---

(*) *Qui haec testimonia assentationis plenissima in unum volumen retulit Jo. Targionius, de iis haec memoriae mandavit*. Magliabechius calumnias, quibus apud Magnum Ducem vexatus fuerat, amoliri gestiens, amicos suos omnes, Ecclesiasticos praesertim, & eos, qui vel propter sacras conciones, vel propter sanctimoniae famam Magno Duci innotuerant, enixe rogavit, ut testimonium conscriberent de ejus vita & moribus. Unus Norisius id exequi recusavit, & ea propter Magliabechius illi infen-

gressa est, ut non modo Angelum, sed pene Deum inter homines ipsum versari dicerent. Ex eo vero intelliges eumdem nulla ruboris signa dedisse, quod vehementer irasci Norisio visus sit recusanti ea proferre, quae vitiosissimae assentationis reprehensionem minime effugissent. Culpaveris au-

---

sus aliquantisper fuit .... Ceteri omnes Magliabechio morem ita gesserunt, ut eorum testimonia autographa, & Tabellionum auctoritate plerumque roborata, ipsum undequaque sanctissimum & divinum repraesentent. Haec singuli potissimum testantur, Magliabechium virginem esse, innocentiam baptismalem, ut ajunt, sartam tectam servasse, non hominem esse, sed Angelum e coelo demissum, & humana carne involutum, ut divinae sapientiae particulam humano generi communicaret, tandem quasi alterum Messiam esse. Centum ex his testimoniis conscriptis an. 1684. & 1685. in unum volumen compingi curavimus, ut pateat quo usque procedere possit servilis adulatio. *Vide* Clarorum Venetorum epistolas ad Magliabechium pag. 200.

tem licet Magliabechii levitatem, in eo vero ipsum plurimum laudaveris, quod auctor fuerit Cinellio ipsi, qui secundo edendam susceperat Bibliothecam illam suam, postquam e vivis jam excesserat Monelia, ut multis condimentis mitigaret acerbitatem, quam in eo reprehendendo, seque ipsum a calumniis liberando adhibuerat. Minime sane ignosci potuit Moneliae, quod Principis in se studio & credulitate abutens, nunquam vexare cessaverit homines doctrinae laude claros, in quibus praeter eos, de quibus dixi, fuere Vialius, Gornia, Tozzius, Bellinius atque Menzinius, qui multo sale & felle ultus est suas, amicorumque suorum injurias, scriptis in Curculionem satyris. Jam inter omnes constare video Cosmum III. ab illa perenni contestataque majorum virtute, quae fructuosa maxime fuit litteris, plurimum degenerasse, neque in imperio ita se gessisse, ut, quasi mercedem rerum gestarum, commoda ipsarum litterarum suamque gloriam requireret. Ad hanc laudem obtinendam nati esse videbantur ejus filii Ferdinandus & Jo. Gasto, & hi

quidem multum faverunt Magliabechio, a quo nunquam se discedere ajebant, quin eruditiores fierent. Benignitate quoque Ferdinandi factum est, ut is locum ad habitandum haberet in ipso Palatio, quod ea mente princeps ille juventutis praestitit, ut commodius ejus libri distribuerentur, & ne ejus valetudinis detrimento cogeretur quotidie longam viam facere, ut ad Palatinam bibliothecam accederet. Sed homo omnis commodi, ut & omnis munditiae negligentissimus, vix in eo pedem posuit, cum ad domunculam suam se redire velle dixit, in qua ut esset, qui illi famularetur, aegre amici ab ipso impetrarunt. Vim quoque ei inferre necesse fuit, ut in coenobiis Augustinianorum & Dominicanorum commoraretur, cum semel iterumque in gravissimos morbos delapsus fuisset, ex quorum altero maxima cum omnium, ad quos falsus de ejus obitu rumor pervenerat, gratulatione convaluit, ex altero vero mortem invenit. Erat annus MDCCXIV. cum sentire coepit plurimum infirmatas esse corporis vires, & elanguescere vim memoriae, quae divina sem-

per in illo fuerat, atque haec vicinae mortis signa homo Christianus minime contempsit. In sinu itaque & complexu religiosorum hominum, qui coenobium incolunt, quod dicitur S. Mariae Novellae, ea persolvit officia, quae declarabant, nil in Deum pietate se potius ducere, qua non modo, sed etiam in patriam charitate, sera licet, commendari memoriae posteritatis se posse speravit. Testamento enim jussit copias suas distribui pauperibus, & ex suis libris instrui bibliothecam, quae civium commodo serviret (*). Illam ingredienti tibi mirum videbitur hominem mediocri fortuna tantam o-

---

(*) *Jusserat ille Coenobitas, apud quos mortem obiit, curam gerere hujus bibliothecae suae: sed Magnus Dux cavit, ne tam lauta supellex librorum in potestate esset illorum, aedesque illi adservandae assignavit in nobilissimo urbis loco, quas aedes scalis, ac vestibulo, in quo Magliabechii imago e marmore sculpta visitur, ornavit. Vide Jo. Gastonis Magni Etruriae Ducis vitam a Jo. Lamio exaratam*: **Memorabilia Italorum Vol. I.**

ptimorum librorum copiam colligere potuisse, ex eo vero colliges quanta fuerit illius fama, ut doctissimus quisque Musis & Apollini se consecrare putaret, quod Magliabechio dono dabat. Obiit IV. non. Quintilis an. MDCCXIV. laudatusque publice fuit in Academia Florentina, cui diu ab epistolis fuerat, ab Antonio Maria Salvinio (*), in quo non tam commendaveris elegantiam orationis, quam animi magnitudinem, quod tribuerit laudes, magnificas illas quidem, homini, qui suas extenuare omni artificio nunquam cessaverat.

(*) *Hujus frater Salvinus elogium illud Magliabechii exaravit, quod a Romanis Arcadibus vulgatum fuit. Laudatores quoque eruditionis illius fuere Lipsiensium Actorum scriptores, sed omnes superare velle videbatur Antonius Franciscus Marmius, quo nullum conjunctiorem idem habuit, cujusque fidei omnia sua bona moriens commendavit. Ex iis, quae hic scripto mandavit, haud pauca selegit Apostolus Zenus, quibus locum dedit in Vol. XXXIII.* P. I. Giornale de' Letterati d' Italia. *Hi autem omnes mentionem fecerunt tum operum, quae per illum habuimus, tum librorum, qui ipsi quasi duci & principi eorum, qui litteras colebant, nuncupati fuerunt.*

ANGELUS FABRONIUS

VINCENTIO BUCELLIO

Laurentianae Basilicae Canonico

S. P. D.

Meminisse profecto debes, amicissime Bucelli, quam saepe, dum eramus una cum Petro Nolasco Cianfonio Canonico eo tempore, quo huic vestro Collegio praeeram in mentionem incideremus Petri Francisci Toccii, & quam effuse & suaviter ille vir, qui ex ejus schola prodierat, in ejusdem laudes excurreret. Jure meritoque quidem ajebat neminem se novisse, qui ejus gloriam aequaret, sive docilitas & memoria, quae fere

Digitized by Google

appellantur uno ingenii nomine, sive judicium acre & certum, quo omnia ex vero perpendebat, sive in disputando subtilitas, sive in scribendo praesertim Etrusce elegantia, sive Graeca & Latina eruditio, sive rerum divinarum notitia, sive demum sanctitas morum, cujus illustria in senectute maxime dedit exempla, spectantur. De hoc tanto viro si nihil ad te scriberem, qui in manibus habes historiam Laurentianae Basilicae antiquitate & gloria nemini sane secundae, cujusque decus auxit Toccius, vererer quidem ne debitum ejus virtuti testimonium, & tibi amicitiae meae pignus denegasse viderer, nec effugerem reprehensiones eorum, qui, quoniam ingressi sumus stadium declarandi vitas virorum doctrina excellentium, pro jure suo a me exigunt, ut historiae munus iis praesertim tribuam, qui primas ingenii & doctrinae in Etruria tenuerunt. Erunt fortasse nonnulli severioris supercilii, qui cum relatum a me legent, eloquentiae arma sumpsisse Toccium, ut culpa & peccato liberaret eos, qui gravissima aliqua de caussa licere sibi mentiri existi-

marunt, tantum de fama illius detrahent; quantum adjudicant iis, qui verum non dicere tam hominem Christianum dedecere contenderunt, quam delirare rationis compotem. Non sunt quidem laxanda Christianae moralis vincula, quae cum tota veritate nitatur, nil tam detestari videtur, quam fallacias, atque mendacia. Neque aliter sentiebat Toccius, qui erat adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Sed ut sollicitudine levaret religiosam quamdam mulierem, quae rogata num tale peccatum fassa esset, negaverat quod re vera erat, minime videri voluit se suscepisse patrocinium mendacii, cum sibi proposuisset rationibus & auctoritatibus probare gravissimas interdum esse posse caussas, quibus negatio inficiatioque vel facti, vel dicti culpa vacare judicanda est. Ferre haud ille poterat severos nimium theologos, qui necessitati nihil concedunt, qui omnia obsepiunt peccatis, qui virtutem duram, & quasi ferream esse volunt, quique non modo quemvis cum iis minime sentientem laedunt, sed & in laedendo positam esse pietatem putant. Qua-

re praeclare secum actum existimavit, si severitatem, qua omnes actiones suas moderabatur, quibusdam condimentis humanitatis, dum aliis salutis viam monstrabat, mitigasset, ne nimio timore atque desperatione ab hac persequenda deterrerentur. Illud dolebat officia deseri mollitia animi, morum corruptela, & vitiis depravatae consuetudinis, ad quae debellanda nullos labores, nullasque dimicationes sibi defugiendas putavit. Sed jam ad rem propositam veniamus. Vale.

Pisis Kal. Januarii MDCCXCVIII.

PETRUS FRANCISCUS TOCCIUS

Petrus Franciscus Toccius Florentinus. Hujus si virtuti & doctrinae par data esset fortuna, non ille quidem major, sed multo illustrior, atque honoratior fuisset. Non dubito enim fore plerosque, ad quorum manus nostra haec scripta pervenerint, qui de tanto viro se nihil unquam audivisse affirment. Is natus est IX. Kal. Novembris an. MDCLXIII. patre Josepho Toccio, matre autem Angela Dilectia obscurissimis parentibus; & quia a pueritia mirum in modum deditus fuit litteris, ejus patrocinium suscepit Franciscus Redius, a quo non modo adjumenta habuit ad doctrinarum cursum

rite conficiendum, sed etiam ad sublevandam paupertatem. Jesuitas audivit tum in humaniorum, tum in philosophiae studiis, Graecam linguam ab Antonio Maria Salvinio didicit, geometriam autem a Vincentio Vivianio. Neque his contentus (mira enim erat in eo docilitas ingenii, ut quidquid vellet facile consequeretur) celeriter Gallicam & Hispanicam linguas arripuit, & Haebraicam attigit. Clericus factus, deservivit Ubaldino, qui suburbanam Paroeciam, cui ab Impruneta nomen est, regebat, multisque adolescentulis, qui eidem Paroeciae operam praestabant, auctor fuit, ut litteris quoque vacarent, utque eo, quo intendebant, facile pervenirent, non se comitem modo, sed etiam ducem praebuit. Mirari satis non potuit juvenis diligentiam & ingenium Morigia Florentinorum Antistes, qui cum ipsam Paroeciam inviseret, multa audivit tum prosa, tum versu exarata & ab iis clericis recitata, quae talia erant, ut ex eadem officina exisse viderentur. Probavit postea magis magisque ipsi Morigiae suam in poesi praestantiam, cum ad illum

misisset oden Italicam, sane nobilissimam, de victoriis Christianorum adversus Turcas, quae laudatorem ipsum habuit Filicajam, qui eadem de re tam grandia cecinit, ut ipsae Musae cecinisse videantur. Quod pietatem & religionem una cum litteris sibi colendam statuit Toccius, cepit consilium se ex hominum frequentia eripiendi, ac nomen dandi Marcianis Coenobitis, quod licet ab optima mente profectum fuerit, eventus tamen minime probavit: nam, dum tyrocinium ponebat, coactus fuit valetudinis incommodis ad suos redire. Cum multi cognoscerent ejus ingenium, & paupertatis misererentur, dolerent etiam, quod Ubaldinius ab se dimittens juvenem, a quo se laesum fuisse arbitrabatur, plus irae suae, quam utilitati sui clericorum collegii paruisset, rogarunt Gerinium Marchionem magnae auctoritatis hominem, qui erat a cubiculo Ferdinandi Medicei Magni Etruriae Principis, ut deserti juvenis tutelam susciperet, eumdemque sibi ab epistolis adscivit. Nescio autem an vel in ingrati, vel in inconstantis animi reprehensionem incurrerit Toc-

Digitized by Google

cius, cum ab eo quoque discessisset, post quod tempus operam suam praebuit in eodem munere scribendarum epistolarum Musico cuidam, qui in magna gratia erat apud ipsum Ferdinandum Principem, in quo aequi sperasse eum dixerunt, iniqui peccasse. Quod excellebat poesi, saepe ab hoc novo domino invitabatur ad pangenda carmina, neque sibi praecidebat libertatem aulice vivendi, declarandique ingenii, sive scripto aliquid consignaret, sive ab aliis consignata, cum nasutus nimium cuperet videri, notaret, eorum autem praesertim, qui se intelligere ac sapere plus, quam ceteros, arbitrabantur. Erat illi quaedam morum similitudo cum Benedicto Menzinio, fortunae etiam conditio par, non autem aetatis & doctrinae, cumque didicissent nunquam pati & dissimulare hominum stultitias atque ineptias, minime effugerunt potentiorum offensionem. Quod dum querebantur, pro Republica etiam queri existimari volebant, quod virtus & ingenia quodammodo alligata erant. cum nunquam non paterent aures Cosmi III. qui imperabat Etruriae, simulan-

tium pietatem vocibus. Ea propter Menzinius Patriam deseruit, utque absentis amici desiderium leniret, crebras & longas ad eum dabat epistolas, ut vero monumentum extaret amicitiae, quam studiorum & naturae similitudo conjunxerat, eumdem colloquentem induxit eo in dialogo, quem de Academia Tusculana exaravit. Porro optime actum est cum Toccio quod in familiaritatem se insinuaverit Jo. Baptistae Frescobaldii, qui Laurentianae Basilicae sacris praeerat (noverat ipsum ab ineunte aetate Frescobaldius, quod ejus amicissimus Zenobius Martinus captus pueri suavitate & ingenio hunc domi suae aluerat) cujusque studiis factum est, ut honestissimum sacerdotium in principe Ecclesia obtinuerit, ac postmodum Laurentianus Canonicus, & Aulae Aedituus declaratus fuerit. Majus etiam beneficium in eo se debere putavit Frescobaldio, quod ab eo cohortatus fuerit, ut religiosis officiis ac divinis litteris totum se se dederet, & facultate dicendi, quae summa erat in eo, ad hominum salutem uteretur. Paruit Toccius sapientissimi viri consiliis,

ex eoque tempore novum vitae cursum ingressus est, quod non modo ad abluendas praeteritae aetatis maculas, sed etiam ad illustria sanctitatis prodenda exempla conduceret. Erat assiduus in audiendis peccatorum confessionibus, aderat dubitantibus consilio, laborantibus subsidio, nullum verbum nisi consideratissimum ex ore illius exibat, habebatque saepe sacras ad populum conciones tum in ipsa Laurentiana Basilica, tum in Sodalitio S. Servatoris, cui erat adscriptus, nec sane elegantiorem, & ad sensus permovendos, & animos virtutis amore inflammandos, quamvis saepe ex tempore diceret, aptiorem invenisses. Probabat in morum scientia genus doctrinae, quae severitatem acerbam quibusdam lenitatis condimentis mitigaret, cumque proponeret genera, e quibus honestas officiumque manat, non tam divinorum praeceptorum, quam jurium societatis humanae rationem habebat, pleniore ore laudans eos, qui honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria ducunt, bonosque se esse malunt, quam videri.

Cum ei esset persuasum nihil Christianum hominem, nisi, quod sanctum decorumque sit, expetere & agere oportere, culpa vacare eos minime putavit, qui in Templo Dei sermones serunt, qua de re plura litteris mandavit, quae minime congruere videbantur cum ea, quam probabat, disciplina. Vere enim si judicare voluerimus, multae res existere possunt, quae dant justam excusationem, si de iis cum altero in domo Dei loquaris, prope ut concedendum atque ignoscendum esse videatur. Patuere quoque aures Toccii ad illam disputationem, qua quaerebatur, num summi mali vitandi caussa liceret aliquando mentiri. In illa priori rem habuit cum Frescobaldio suo, in altera autem cum Augustino Ursio e Praedicatorum familia, qui anno MDCCXXVII. edito libro acerbe oppugnaverat Carolum Ambrosium Cataneum Jesuitam, docentem legem extare hominum consensu statutam, quae verbis interdum omnem adimit sensum, sic ut *est & non est* desinant esse notae affirmationis & negationis, nihilque sonent, quando ex proditione veri

nasci oportet grave aliquod damnum, puta vitae, rei atque existimationis. Ex Toccii sententia si quis rogatur num tale peccatum fassus fuerit, *non* respondere potest, quamvis dicat quod verum non est, quam sententiam bene firmam, multis & gravibus allatis argumentis, firmiorem etiam fecit S. Francisci Salesii auctoritate. Quae in hac quaestione litteris mandavit non nisi longum post tempus, eodemque mortuo, in vulgus edita fuerunt, nec scio quomodo ex naufragio subducta fuerint, quod omnia illius scripta fecerunt, non casu, sed voluntate Auctoris, qui non modo illorum, sed ne sui memoriam superesse voluisset, adeo gloriae contemptor, & animi demissionis studiosus fuit. In iis plurima erant, quae ex Graecis scriptoribus Italicam in linguam converterat, in eosdem commentaria, dissertationes de Petrarcha, carmina permulta tum Italica, tum Latina, quorum omnium laborum fructus non in adolescentia modo genuit, sed etiam in adulta aetate, quod studia humaniorum litterarum vel in homine sacris addicto minime improbanda cen-

sebat, moderata dum essent. At senex factus, cum ad majora se vocatum diceret, nullum amplius cum Musis commercium habere voluit. Porro nemo vocabit in dubium, quin, nisi famam despexisset, in principibus numerari potuisset, qui humaniores litteras apud nos coluerunt: nam ut de eo praedicavit Michael Angelus Riccius eo loco Homericarum Dissertationum, quo illustriores Salvinii discipulos commemorat, *vir fuit ingenii acie, judicii solertia, multisque litteris summus, qualem produnt aliqua ex ejus scriptis praelo emissa*. Sed haec quamvis omni laude dignissima sint, multo tamen majora etiam illa putamus, quae diu in scriniis latere sivit, ac demum flammis damnavit. Etenim, quod raro existit, magnitudini celeritatique ingenii, ut ad id factus videretur, quod suscipiebat, adjungebat judicium acre & certum, ut vel probatissimi scriptores, quales fuerunt Filicaja, Bellinius, Menzinius, illius sententiae stare mallent, quam reliquorum. Patefaciendae suae doctrinae occasio ei oblata est a forensi quadam controversia, in qua dispu-

tabatur ad interpretandum testamentum de significatione vocis, quam nos Etrusci dicimus *occorrenza*. Definiendum enim erat num illa sonet *bisogno*, Latine dixeris indigentiam & egestatem, vel *bisogna*, negotium & rem. Hoc nimirum est illud, quod comprobare nititur Toccius rationibus, exemplis atque usu. Quia vero adversari illi videbatur Etrusci Lexici auctoritas, culpandam hac in re ait vel typographi, vel Scriptorum negligentiam, quos & in multis aliis rebus peccasse demonstrat, neque hos modo, sed & ceteros Lexicorum tum Graecorum, tum Latinorum illustriores conditores. Certioribus argumentis convincit disputationem, quae erat in verbi, quod diximus, controversia, a probatissimis scriptoribus confici, neque minus confici a loquendi consuetudine, quam cum omnium rerum, tum maxime verborum dominam jure meritoque appellavit Aulus Gellius. Vix credibile videtur rem adeo tenuem tanta eruditionis copia ornari potuisse, ut ex hoc uno scripto conjici possit fuisse Toccium Graecis, Latinis, Etruscisque litteris eruditis-

simum. Vulgavit illud Florentiae an. MCCVII. nec sane dubito quin ad obtinendam, quam tuebatur, caussam multum profuerit. Eodem ſerme tempore patrocinium arripuit Antonii Francisci Bertinii, qui an. MDCXCIX. edito opere pro defensione artis, quam profitebatur (erat enim inter Medicos Florentinos nobilis & clarus) hoc ab invidorum hominum reprehensionibus liberare coactus fuerat. De medicina securi erat animi, cum talia conscriberet, quae doctiorum judicio firmissima erant. Sed cum prodiisset in scenam Jo. Paullus Lucardesius. qui se grammaticum professus multos illi objiciebat Etruscae dictionis errores, quibus adspersisse ajebat apologeticum scriptum, quod inscripserat, *lo specchio che non adula*, totam hanc rem judicio Toccii commisit. Libentissime hic amici defensionem suscepit, cui quidem facile fuit non inhumanitatis solum, & inscitiae, sed pene amentiae adversarium convincere. Lepos, facetiae, Etrusci sales, dictionis elegantia, & eruditio libero digna dominantur adeo in hoc opere, ut non modo intelligentem & ingeniosum, verum etiam

quemvis illorum hominum, quos idiotas appellare solemus, delectare possit. Prorsus in supellectile Toccii fuisse dixisses artem & subtiliter disputandi, & copiose & eleganter dicendi, & inveniendi ridicula & salsa, & diluendi, aut infirmandi, aut elevandi, quod ab adversariis argumentando objiciebatur. Quare minime est mirandum si multi ab illo peterent, ut in controversiis, quae ad litteras pertinebant, aequitatis patrocinium tueretur, quod tamen raro fecit, quia plerique contentionis, quam veritatis cupidiores esse videntur. Ceterum opus illud, de quo diximus, summo apud nos plausu exceptum fuit, & magnopere etiam laudatum ab iis, qui, duce Apostolo Zeno, litteratorum Italorum ephemerides Venetiis vulgabant; & si postea vehementer poenituit Toccium haec elapsa fuisse e suis manibus, dandum id est pietati illius, quam, postquam aestus adolescentiae deferbuit, sic colendam putavit, ut facile quidem perferret injuriam, nemini autem vel in minimis rebus molestiam exhiberet. Eluxit enim tanquam lumen aliquod veteris

ſanctitatis, quam non in ſe modo, ſed & in aliis provehere maximopere ſtuduit opera, conſiliis, ſermonibus, &, quod magis eſt, exemplis. Hoc poſſum dicere nunquam intermorituram Florentiae memoriam Toccii tum ob religioſiſſimos mores, tum ob praeſtantem in litteris doctrinam. Quod haec quoque cognita erat Romanis Arcadibus, quorum in coetum adſcriptus erat nomine Critonis Geonii, ab illo pro jure collegii impetrarunt, ut vitam declararet Vincentii Viviani, mathematicorum ſuae aetatis facile principis, quoque, uti diximus, praeceptore uſus fuerat. Scripſit hanc ſuo more elegantiſſime, docte expoſuit quot ab eo mathematicae diſciplinae, & Etruſca quoque lingua ornamenta acceperint, & quam fortunatus fuerit Galilejus, quod in extrema aetate alumnum inveniſſet, quo allevaret moleſtias & ſollicitudines, quibus eum coecitas, aliaque valetudinis incommoda miſerrimum habuerunt. His quoque Toccius moliebatur majora; ſed tot induſtriae fructus una perdidit hora, quod cum Deo unice vacare deliberaſſet, noluit extare mo-

numenta studiorum, quae profanis musis consecraverat. Multam tamen operam & utilem amicis praebuit, nihil sibi reservavit, quo indigentibus succurreret, atque ita diu vixit, ut ejus vita omnibus carissima, mors autem acerbissima fuerit. Obivit hanc Florentiae VII. Kal. Decembris an. MDCCXLII. quodque fuerit omnium de eo judicium, ex inscriptione, quam in ejus sepulcro condi jusserunt ejus collegae Laurentiani Canonici, cognosci poterit. Haec autem est hujusmodi:

Petrus Franciscus Toccius Josephi ex Angela Dilectia filius, hujus Ecclesiae Canonicus Prot. Ap. alacri magnoque ingenio. Grammatices, Rhetorices ac Philosophiae Soc. Jesu Presbyteros, mathematices vero Vincentium Vivianum Galilei discipulum, Graecarum litterarum Antonium Mariam Salvinium praeclarissimos viros habuit magistros. Multa erudite ac lepide scripsit tum soluta, tum ligata oratione, quorum aliqua praelo publici juris fecit, aliqua manuscripta existunt. Graeci, Latini atque Etrusci

sermonis peritissimus, Hebraici non ignarus, naturam ipsam percepit philosophicis meditationibus, Deum & ejus munera theologicis, vim cogitandi mathematicis disciplinis regens. Ecclesiasticam & profanam historiam juxta critices regulas mente complexus est. Hinc purgatissima rerum cognitione, honestissimis moribus in deliciis fuit. Magno Etruriae Principi Ferdinando Mediceo Cosmi III. filio litteratorum Mecoenati, ut ejus familiae adscriberetur, & Regiae Celsitudini M. E. D. Cosmi III. e sacrorum administris foret, deinde vero adeo impense virtutem Christianam coluit, ut sanctissimus haberetur. Rerum enim mortalium pertoesus cum sibi latior ad decus & munera pateret via, illam effugit, se Deo totum tradens, & omnium oculis se se abscondit, ut sine fama & nomine jaceret. Totus in Virginis Mariae cultu & honore tuendo ac promovendo fuit, deque ipsa tum publice, tum privatim sic loquebatur, ut eam unice diligere videretur. Singulis Sabbati diebus per septem ferme lustra tanta orationis vi divinam in Ecclesia nostra Parentem prae-

Digitized by Google

dicavit, ut frequens populus audiens admiraretur. Orationi & contemplationi adsiduus, alienae salutis studiosus multos in Christiana virtute perfecit. Misericordia in pauperes ea fuit, ut eorum caussa saevissime fieret egentissimus, seque interdum veste victuque privaret. Lectissimam etiam, & instructissimam bibliothecam, qua maxime fruebatur, & satis decenter ornatam supellectilem vendidit, ut pretium pauperibus erogaret, eo redactus est, ut vix sibi lectulum reliquerit, in quo decumberet. Tanta erat animi demissione, ut de se abjectissime loqueretur, & latere cupiens praestantissima ingenii sui monumenta, tum quae praelo committenda paraverat, tum quae ex aliorum manibus conligere potuit, omnia combussit, ut lucem effugerent. Expeditam mentis dexteritatem & sagacitatem ad Evangelicam simplicitatem redigens, pene parvulus effectus est. Sic vir aetate & meritis plenus tandem obdormivit in Domino anno aet. suae LXXIX. VII. *Kal. Decembres A. D.* MDCCXLII. *Ejus cadaver quatuor totos annos in arca lignea servatum est in communi*

Ca-

Canonicorum sepulcro, deinde incolume, incorruptum, flexibile repertum, laceris scilicet & tabescentibus, quibus indutus erat, vestibus, corrupta pariter, & in pulverem putrem redacta membrana, quamvis inclusa esset in plumbo, in qua monumentum hoc extabat. Denique curatum est huc illud transferri, adnuente amplissimo Praesule Francisco Cajetano Incontrio Archiepiscopo Florentino.

OPERA EDITA

Per i felicissimi progressi delle armi Cristiane nell' Ungheria Canzone di Pier Francesco Tocci Accademico Apatista all' Illustrissimo e Rev. Monsig. Jacopo Antonio Morigia Patrizio Milanese e Arcivescovo di Firenze: in Firenze alla Condotta 1686. in 4. *Quod sciam unum hoc est Italicum carmen, quod ex multis ab eo factis ediderit Toccius. Ex Latinis vero unum extat epigramma ad Franciscum Follium Sanguinis transfusionis inventorem in hujus libro, qui inscribitur*: La stadera medica.

Parere intorno al valore della voce occorrenza detto in Firenze nella causa dell' Illustrissimo

Sig. Cav. Francesco Fini contro al Sig. Filippo Dogliosi &c. da Pier Francesco Tocci Canonico dell' insigne Collegiata di S. Lorenzo. In Firenze appresso Pietro Matini Stampatore Arcivescovile 1707. in 4.

Risposta di Anton Francesco Branchi da Castel Fiorentino Scolare nello Studio Pisano a quanto oppone il Sig. Giovan-Paolo Lucardesi al libro dell' Eccellentiss. Sig. Dottore Anton-Francesco Bertini intitolato: *Lo specchio che non adula*: dedicata all' Illustrissimo Sig. Antonio Magliabechi Bibliotecario degnissimo del Sig. Duca di Toscana: Colonia nella Stamperia Arcivescovile 1708. in 4.

Vita di Vincenzio Viviani: *Extat in volumine I. quod inscribitur*: Le vite degli Arcadi illustri: in Roma 1708. in 4.

Carteggio dell' Anonimo colla Monaca, che scrive al Padre Orsi Autore del libro della Dissertazione Dommatico-Morale in Firenze alla Stamperia di Gaspero Pecchioni 1779. in 8.

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO MAROTTO

S. D.

Vere dictum fuit, virtutes iisdem temporibus permagni aestimari, quibus facillime gignuntur, & optimum quemque ad prodendam virtutis memoriam sine gratia, aut ambitione toties excitari, quoties confidit scripta sua ceteris fore documento ad bonas artes excolendas. Dum vetera inquirimus, docemurque extitisse, qui, ut ait Sulpitia illustris sane poetria,

Et studia & sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit,

quique Rusticum vita privaverit, quod Thraseam virum sanctum appellare ausus fuerat, minime admirabimur magnam tum fuisse paucitatem eorum, qui res praeclaras gererent, horumque gesta historiae monumentis mandarent. Haec non modo vetus, sed etiam haec nostra aetas vidit, qua nihil miserius, nihil perditius, nihil foedius fieri posse puto, quod boni excipientes gravissimas plagas, has ferre silentio cogantur, & loquendi libertas iis tantummodo concessa sit, qui caelo sanctioribusque institutis bellum indixisse videntur. Scilicet hoc igne aboliri conscientia generis humani posse putatur, & ea est natura infirmitatis nostrae, ut vel ii, quos diu tacuisse puduit, malis exemplis, malisque vocibus paullatim corrupti deserant officia, quae comminui & violari crimini antea duxissent. Id quantis nostris peccatis, vitiisque evenerit, non possum sine gravissimo animi angore cogitare. Tu quidem eximium studii tui in rem catholicam, loquendique libertatis exemplum dedisti in ea, quam de ostensis divinae potentiae habuisti ad Quirites Latina oratione, quamque non solum

incitatam & vibrantem, sed etiam accuratam & perpolitam omnes boni doctique omnes judicarunt. Atque utinam tantam vim illa habuisset, ut in animis omnium penitus insedisset, nec sic praetervecta esset audientium aures, ut nullos, vel potius contrarios exitus habuerit. Expulsus enim sua sede fuit Romanus Pontifex, spoliatus bonis omnibus, coactusque alienas terras quaerere qua in calamitate tantam animi fortitudinem & constantiam prae se tulit, ut non suam suorumque, sed tantummodo Christianae Reipublicae vicem dolere videretur. Quod vero tu hujus calamitatis socium esse, eique operam praestare in scribendis Latinis epistolis minime recusaveris, est sane quod glorieris, quodque boni omnes tibi gratulentur. Qua in gratulatione si ego, qui tibi ab ineunte adolescentia conjunctissimus fui, siluissem, minus quidem pie, minusque amice fecissem. Et mediocri me dolore putas affici contemplantem Summi Ecclesiae Rectoris miserabiles casus, nec satis commoveri exemplo eorum, qui nullum recusant laborem atque periculum, ut illius moeror ac

solitudo levetur? Quia vero te etiam levatione aliqua indigere sum arbitratus, quam petere soles a studiis humanitatis, in quibus excellis, & a recordatione eorum, qui cum doctrina morum sanctitatem conjunxerunt, ad te mittere decrevi vitas Caroli Mariae Maggii, & Francisci Lemenii, quas proximis diebus, ut potui, declaravi. Cave enim putes his hominibus fuisse innocentiores atque religiosiores, ut poesis, in qua mirabiliter praestitere, & per quam nomen suum immortalitati commendarunt, vix in iis locum ad laudandum habere videatur. Accipe, qua soles benignitate, tenue licet, munusculum, tibique persuade me nulla in re malle, quam te amando constans esse & videri. Vale.

Florentiae Id. Sextilis MDCCXCVIII.

CAROLUS MARIA MAGGIUS

Miserum ac fatale bellum inlatum superiori saeculo poesi facile dixeris ab iis, qui in illam invexerunt immoderatas hyperbolas, translationes audaciores, undique quaesitas antitheses, atque metaphoras, falsas imagines, nimis exquisitas & prorsus odiosas sententias, locutionem a probato poetico genere, atque a consuetudine communis sensus abhorrentem, & alia hujusmodi vitia, quibus nobilissima illa facultas omnem dignitatem atque splendorem amisisse videbatur. Si fuit locus ullus ab hac contagione immunis, fuit profecto Etruria, cujus exemplum secuti pauci cordati viri,

qui in aliis Italiae regionibus nati erant, omni ope adlaboraruṅt castam & incorruptam virginem ab impudentissimis procis liberare. Ex his magnam profecto laudem retulerunt bini Insubri poetae Carolus Maria Maggius, & Franciscus Lemenius, qui Italorum omnium primi sacras Musas sic nobilitarunt, ut quemadmodum de iis judicavit Franciscus Redius (*), vir sane casti-

(*) *Libet hoc loco exscribere integram illius epistolam ad Maggium ipsum*. Io non dovrei questa sera scrivere a VS. Illustrissima una lettera, ma bensì un panegirico per le lodi delle sacre poesie del Sig. Francesco de Lemene. Non voglio però farlo, perchè non ne ho l'abilità. Dirò solamente che il Sig. de Lemene è stato il primo nella nostra Italia, che abbia nobilmente salito il Sacro Parnaso, e lo abbia salito con un passo così franco e cotanto sicuro, e con una cetra così armoniosa e delicata, che potrebbe agguagliarsi a quella dell' antico Davide. Oh che nobiltà di pensieri! oh che purità! oh che evidenza! Ho detto ch' egli è stato il primo; ho però inteso dirlo

gatissimi judicii, eorum cithara Davidicae comparari possit. Convenit itaque de iis quoque pauca dicere, quod sic praestabimus, ut satietati & desiderio lectorum medeamur. Multa de illo altero memoriae mandavit Ludovicus Antonius Muratorius, quibus fortasse nimium amori, quo ferebatur in amicam ac praeceptorem concessisse videtur, haud pauca de altero Thomas Ceva, qui dum Poetam laudavit, artis, quam coluit, utilissima praecepta dans, se peritissimum ostendit. Utrumque minime imitabimur. Illud enim nolumus, hoc non possumus. Sed ad propositum veniamus.

Natus est Maggius Mediolani VIII. id. Maii an. MDCXXX. nobili genere, patre au-

---

senza pregiudizio alcuno di quel mio amatissimo amico e Signore, il quale in questo punto stà leggendo la mia lettera. Oh se queste mie parole fossero un dolce stimolo a lui di stampare le sue sacre poesie!

Firenze 14. Agosto 1687.

tem Joanne Baptista Maggio, matre Angela Riva, civibus Mediolanensibus, quorum nota erat in liberis educandis diligentia. Hi pestis, quae multas Italiae regiones plurimum afflixit, vitandae gratia, in praedium, quod possidebant prope amoenissimum Briantiae montem, secesserunt, verum parum abfuit, quin hoc morbo absumeretur Carolus, cujus semina secum attulerat nutrix, quoque brevi extincta est. Is postquam in patria litteras a Jesuitis accepit, quibus pueri informari solent, Bononiam an. MDCXLVIII. concessit, operam utrique juri daturus sub optimis praeceptoribus, quibus urbs illa semper abundavit. Huic studio, quod maxima exposita essent praemia vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem, sic vacare eum jusserat pater, ut in eo quasi tabernaculum vitae suae collocaret; qua in re ita voluntati illius obsecutus est, ut ceteras facultates minime contempserit. Se enim exemplum minime capturum ab iis palam dictitabat, quorum fuit, & est ubique magna copia, qui quaestui inhiantes, aut cursim arripiunt, aut

omnino praetereunt adjumenta & ornamenta ad omnem vitam, ad omnes artes, ad omnia officia accommodata, quae in adolescentia honestissima, in juventute optima, jucundissima in senectute, quaeque cum legimus delectant, cum scribimus sunt necessaria. Nulli itaque labori pepercit, ut variis doctrinis, ac praesertim humaniorum litterarum copiis se ditaret, quod quam feliciter illi evenerit, ex eo conjici potest, quod non multo post quam doctrinae insignibus decoratus in patriam redierat, cum multis aetate & sapientia gravissimis viris competitor, fuisset in petitione honestissimi muneris (secretarium urbis vocabant) uno tantum suffragio victus fuit a Josepho Annone, cum quo vel in maturissima aetate contendere gloriosum fuisset. Hac laude contentus, cum soluta tum ei esset optio eligendi cuinam potissimum facultati operam navaret, totum se dedit humanioribus litteris, quarum summam esse utilitatem non in vita solum privata & quieta, sed etiam in re publica gerenda esse intelligebat. Formaverat eum natura ad poesim, cujus naturalis

bôni illustria indicia dederat vel ab eo tempore, quo Bononiae studiorum caussa commorabatur. Principio a saeculi vitiis prorsus non se abstinuit; sed brevi emendavit improvidae aetatis errores, & in eo certe elaboravit, ut non sibi solum, sed & ceteris, qui a recta deerraverant via, consuleret. Ea propter omnes politissimos Etruscos scriptores sibi legendos atque pervolutandos esse putavit, quorum quasi cantu sensit orationem suam colorari. Se vero beatum dixit, quod de carminibus suis Florentini Academici, qui quod pollinem a furfure in omni Etrusca scriptione secernunt, Furfureorum nomine appellantur, judicassent nihil in iis inesse nisi castum & purum, seque propterea dignum existimassent, qui in eorum coetum legeretur. Didicit & Hispanicam linguam, atque hac quoque interdum lusit. Nam tum prorsus peregrina non esse videbatur Mediolani, in hac urbe dominante Hispaniarum Rege. Nemini censebat fore dubium, quin dum in his studiis laboribusque vivebat, facile comparare sibi aditum ad honores posset, & quanquam diligens

esset in aucupanda gratia potentiorum, saepe tamen revocabat in memoriam Plautinum illud,

Virtute ambire oportet, non favitoribus.

satis non habuit iis uti subsidiis, quae patria suppeditabat ad omne doctrinarum genus excolendum; quaesivit & externa, peragratis illustrioribus Italiae urbibus, conciliataque sibi amicitia virorum doctrina praestantium, qui in iis florebant. Roma maritimo itinere Neapolim petens, parum abfuit, quin saeva jactatus tempestate aquis mergeretur, quod periculum & alia, quae semel, iterumque & tertio adiit, quibusque mirabiliter liberatus fuit, dum recordabatur, nil tam desiderabat, quam se posse singulari Dei in se bonitati respondere. Redux in patriam, quod erat in illius judicio optatissimum, penitus se insinuavit in familiaritatem Bartholomaei Aresii Comitis, qui Mediolanensi Senatui praeerat, hominis ad consilia prudentissimi, cujusque in nutu residere auctoritas videbatur. Hujus

praesertim studiis factum est, ut an. MDCLXI. honorificentissimo munere ipsius Senatus Secretarii decoraretur, in quo gerendo (gessit autem quoad vixit) & in extraordinariis etiam mandatis conficiendis, in quibus gravissima fuere regundorum finium, moderandique Ticinense Lyceum, omnia ad gloriam splendoremque amplissimi Consilii revocaret. Accidit aliquando, ut cum in eo mentio fieret *Apostolorum*, quo nomine a Jurisconsultis designantur litterae, quae ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, mittuntur, unus extiterit Graecae hujus vocis originis ignarus adeo, ut eos Sanctorum apposito appellandos esse putaverit, quae turpis inscitia in multis risum, in Carolo vero vehemens desiderium excitavit, non extremis tantum, ut dicitur, ditis Graecam linguam attingendi, sed ita arripiendi, quasi diuturnam sitim esset expleturus. Voti compos factus, facile munus obtinuit illam & Latinas litteras docendi iis in scholis, quae Palatinae vocabantur, in quo magnam utilitatem attulit civibus suis. Ut hos quoque

oblectaret, remque gratam faceret iis, qui pro Hispaniarum Rege sedebant ad Mediolanensis Provinciae gubernacula, tria melodramata (*) brevi tempore exaravit, in quorum altero sic saeculo indulsit, ut illud minus castis lusibus polluerit, cujus rei poenituit adeo illum postea, ut quotquot ejusdem exemplaria invenire potuit, flammis damnaverit. Sensit & amoris stimulos. Deperiit enim feminam generis nobilitate, formae pulchritudine, castitatis opinione, ingenii vi nemini secundam, cujus laudes multis carminibus sui amoris testibus celebravit. Haec quoque, quamvis nil impudicum redoleant, improbavit, aetate, experientia atque moralis Christianae praeceptis commonefactus nil tam officere ad sapientiam adipiscendam, quam amatorias levitates. Sibi vero gratulabatur, quod solutus

---

(*) *Haec inscribuntur*: La Bianca di Castiglia, Gratitudine umana, o sia Affari & Amori, & la Lucrina.

vinculis cupidinis atque ambitionis (*) quibus in prima adolescentia, & ad brevissimum tempus fuerat constrictus, vel cum Eurilla sua sane castissima femina de virtutis bono loqui, & hujus ab illa petere exempla posset. Ad hanc ipsam virtutem in se aliisque alendam binos ex Gallica lingua in Italicam convertit libros, qui praecepta dabant saluberrima vitae sancte degendae, quodque ex iis alter nobiles praesertim feminas ad omne officii munus instituebat, huic nonnulla addidit de suo, quae ad amputandam & circumcidendam inanitatem omnem atque errorem in ornamentis animi & corporis quaerendis conducebant. Ex omnibus artibus quod nullam potiorem nobilioremque putabat morali philosophia, quia ea nulla vitae pars vacare po-

---

(*) Le dorate catene, ond' io fui stretto
Or d' amore or di gloria io più non sento
Che 'l desio giovenil che m' arse il petto
Venne qual fuoco e poi passò qual vento.

potest, & quia in ea excolenda sita est omnis publica & privata felicitas, magnum studium multamque operam ad eam sibi comparandam, ceterisque tradendam contulit. Maximi autem facere, & praesertim admirari videbatur illum non linguae solum, sed etiam animi ac virtutis magistrum Platonem, cujus sententias de finibus bonorum & malorum complexus est libello, quem ad Vitalianum Borromaeum misit, quocum familiarissime atque amicissime vivebat, quique hoc doctrinae genere plurimum oblectabatur. Cum erat necessariis negotiis curisque vacuus, veniebat saepe ad ejus villam, qua nulla est magnificentior, quaeque Insula vocatur, & tum Musas ipsas eo in loco habitare dixisses, cum cantu, carminibus, & disputationibus eruditissimis omnia personarent. Vel dum dramata ab aliis exarata in illius villae theatro recitabantur, aliquid de suo addebat Maggius, quod eminebat adeo ob dicta ridicule, salse & acute ad carpendos vitiosos mores, nemo ut dubitare posset, quin ex illius officina prodiissent. Improbavit postea hoc scriptionis

genus, ipsa monente Eurilla, cujus haec erat vox, quamvis sententiose ridicula dici possint, effugiendam tamen offensionem eorum, qui si quid reprehenderis pro se dictum existimant. In eo quoque ejus virilem gravitatem laudaveris, quod licet saepe & multum rogatus ab illis fuerit, quibus potestas data erat condecorandi ludos scenicos, ne sineret artem dramaticam recidere ad paucos, novisque fabulis scenam ornaret, aut saltem ab aliis conditas modis musicis accommodaret, quod antea, quibusdam de suo allatis, non semel fecerat, nunquam tamen adduci potuit, ut eorum commodis serviret. Tantum enim illum odium cepit hujusmodi spectaculorum, sine quibus adolescens vitam insuavem existimaverat, ut ab iis, tanquam a libidinis scopulo omnes avocare optasset. Id curavit quidem, ut theatra haberent tragoedias, in quibus spectandis animus non modo incorruptus permaneret, sed praeclaris exemplis, sapientissimisque sententiis ad virtutis studium inflammaretur. Quid in hoc poesis genere posset, tentavit in prima adolescen-

tia, fabulae argumento sumpto ab iis, quae narravit Joannes Boccaccius de patientissimae feminae casibus, cui nomen erat Griselda. Aetate vero provectus fecit Asoti reditum, seu prodigum filium, qui postquam, dissipatis bonis, dolore & miseria tabuit, ut est evangelica parabola, paternam domum repetiit; & Theopisten, quae fuit S. Eustachii martyris uxor ab eo cum duobus liberis, quos mortuos putaverat, mirabiliter recuperata. In illa altera joci aliquid admiscuit, quasi dictis socco dignis tragica gravitas servari potuisset, alteram simplicitate, quam in omni scriptione scenica servandam putavit, commendari voluit. Ut experiretur num populo placerent, quas Graeci & Latini fecerunt fabulae, Iphigeniam Euripidis & Troades Senecae sic convertit in Italicam linguam, ut ex hac multa, quae non probabat, dempserit, in illam vero multa de suo transtulerit, fere ut novam confecisse videretur. Non defuere, qui istud vituperarunt factum, atque in eo disputarunt, contaminari non decere veteres fabulas, quibus satis putavit respondere illis Terentianis dictis:

.... Aequum est vos cognoscere atque igno-
scere,
Quae veteres factitarunt, si faciunt novi.

Prorsus improbabat ab Euripide minime servatum fuisse illud Horatianum praeceptum

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit;

quae caussa fortasse fuit, quare huic tragoediae minime extremam manum imposuerit. Solitus vertere seria ludo, senilem aetatem haud dedecere existimavit operam in scribendis comoediis ponere. Magis ut oblectaret populum, huncque instrueret ad ea fugienda, quae vitioso more fiebant, usus est patria dialecto, feliciter adeo, novum ut comoediae genus omni urbanitate atque festivitate conditum invenisse judicatus fuerit. Quatuor usque exaravit (*),

(*) *Has inscripsit*: Il manco male, Il Barone di Birbanza, I Consigli di Meneghino, e Il Falso Filosofo.

quae decies repetitae perplacuerunt. Sunt enim bene moratae, docentque multa cum venere & arte

Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.

Qui praeclaram emendatricem vitae dixerunt poeticam, sane locupletiorem Maggio auctorem ad hanc confirmandam sententiam minime invenissent. Sive enim ludicra, sive seria tractaret, sive carperet eos, qui animum falsis opinionibus, maloque more molliverant (*), sive virtutem laudaret, doce-

---

(*) *Quare de se gloriari potuit:*

Benchè pungente, io fui molto gradito,
 Che punsi un poco, e non svenai la gente,
 Anzi quel mio toccar discretamente
 Più tosto che dolor mosse prurito.
Del punger ch'io fo, tardi m'avveggio,
 Mordo senza saper d'esser mordace,
 Lascio correr il verso, e poi mi spiace;
 Scuso, ridico, e in medicar fo peggio.

retque qua essent pietate Deus, patria, parentes, & amici colendi, quod sit officium & munus Reipublicae rectorum, nunquam non dedit saluberrima praecepta ad omnem vitae statum recte gubernandum. Homo, in quo nihil erat falsum & imitatione simulatum, quae latebant in animo ac sensu suo proferebat, nec de se mentiebatur in gloriando, quod cum a Deo munus poetici ingenii accepisset, nil tam curabat, quam donanti reddere, quod ab ipso habuerat (*).

Pure un tal poetar mi fè vantaggio
Nel satirico stil, nel amoroso,
E parvi con quel mio dolce acetoso
Buono agli amci, ed ai potenti saggio.

(*) *Sic exorsus est suorum Carminum prooemium*:
Dirmi talora io sento
Che il mio Signor cortese
Mi diè per le sue lodi alcun talento.
Io, queste voci intese,
Dovrei prender la cetra e dargli gloria:
Bello è rivolger grato
In prò del donator l'uso del dono,
E fare il don del donatore istoria.

Neque dubitabat, quin hoc ita conſequi poſſet, ut ſuo exemplo doceret Muſarum cultores, ex intima morali & theologia, atque ex divinae bonitatis theſauris depromi poſſe argumenta ad canendum aptiſſima. Grandis eſt ille quidem verbis & ſententiis; nil dicit niſi pure eleganterque, quodque apte haereat, & propoſito conducat, etiam atque etiam videns, ut eſt Horatii monitum,

Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum;

artificioſa circumſcriptione comprehendit, concluditque ſententiam; non iis tamen luminibus carmina ſua lyrica illuminavit, quae produnt hominem animi quodam impetu concitatum, & vi naturae atque ingenii elatum, cui datum eſt non modo delectare atque inſtruere, ſed etiam quocunque volet animum auditoris agere. Non ſine multa laude illud breviorum carminum genus, quod nos Itali dicimus *Sonetti*, praeſertim adhibuit ad exacuendos animos in verae gloriae ac virtutis, & in Deum caritatis

studium, in quo si dicam magis, quam in aliis generibus ipsum excelluisse, recte judicare videbor. Nunquam tamen in magna varietate carminum (nil enim fere intentatum, Graeca (*), Latina, Italica tractans, reliquit) limo turbatam aquam hausit, quanquam in tam corrupto saeculo aliorum exemplum illum excusare potuisset; &, vel judice Francisco Redio, cum raro, vel nunquam tritum ab aliis iter ingressus fuisset, sidera usque vertice tetigisse videtur (**).

(*) *E Graecis omnia fere anthologiae epigrammata in Italicam linguam convertisse testis est Muratorius. Ex his nonnulla is retulit inter carmina ipsius, quatuor an. 1700. Mediolani editis voluminibus, quae inscribuntur:* Rime varie di Carlo Maria Maggi.

(**) Lo splendor di Milano il savio Maggi
Il savio Maggi d' Ippocrene al fonte
Mentognero liquore unqua non bebbe,
Nè sul Parnaso lusinghiero egli ebbe
Serti profani all' onorata fronte.

Loquitur is de sacris Maggii poematibus, quae, ipso & Paullo Segnierio suffragatoribus, Ludovicus Adimarius Florentiae an. MDCLXXXVII. typis imprimenda curavit. Fuit hoc opus omnibus hominibus insigne documentum eximiae Poetae in Deum pietatis, quae in omnibus ejus dictis & factis non lucide minus apparebat. Nil enim in eo vidisses nisi ex sanctissimo more & disciplina, nil nisi ingenuum, nisi moderatum, nisi pudens, nisi castum. Qui humanissimos sensus a natura habuerat, amicos diligentissime coluit, inimicis facile pepercit, tantaque fuit indulgentia in liberos (quatuor enim masculini generis, tres autem ſeminini susceperat ex Anna Maria Monticellia, quam an. MDCLVI. uxorem duxerat) ut neminem illo commodiorem faciliorem-

---

Altre strade egli corse, e un bel sentiero
Rado, o non mai battuto aprì ver l'etra,
Solo ai Numi e agli Eroi nell'aurea cetra
Offrir gli piacque il suo gran canto altero.
Ditiramb.

que inveniſſes. Homini tot ingenii atque animi bonis ornatiſſimo deeſſe haud potuerunt laudes doctorum, caritas civium, & gratia potentiorum, in quibus maximi fecisse videtur Christinam Svecorum Reginam, & Cosmum III. Magnum Etruriae Ducem, tum ob illorum merita, tum ob declarationes benevolentiae singulares, quas ab illis habuerat. Cosmi quoque virtutes ode celebravit, quam laudationem cum misisset ad Segnerium & Redium, hi quidem judicarunt neminem illo aptiorem esse ad politices praecepta versibus exornanda, & ad Heroum illustria facta amplificanda. Et amplificator sane videri malebat, quam parcus laudator, cum aliquem inveniſſet, quem suorum carminum munere dignum existimasset. Cum miros Ludovici XIV. Gallorum Regis cecinisset triumphos, quem in omni re praeclara gerenda nunquam non anteivere fortuna & virtus, speravit fortaſſe se poſſe nova fronde redimire caput suum, at non propterea iratus est Bouhoursio, qui quosdam versus illius nimium turgescere affirmavit, nec sivit amicos sui defensionem

suscipere. Erat enim incredibili mansuetudine atque modestia, suorumque carminum ipse animadversor severus, dolere videbatur, quod in editis nonnulla emendare haud sibi liceret. Quanquam sibi occultare minime posset vel ab ineunte adolescentia caussam habuisse celebritatis & nominis, restitit tamen multorum, & vel Cosmi ipsius precibus, qui ejus pictam imaginem habere volebant (*), quamque ut obtinerent, ne-

(*) *Se ipsum quidem hoc carmine pinxit.*

Sono un uomo lunghissimo ed asciutto,
Ho crin lungo, occhio mesto e piè leggiero,
Ho nel viso or attonito, or severo
Tutta la maestà, che vien dal brutto.
Son guasto dal vajuolo, e son distrutto
Parte dal salso umor, parte dal nero,
E mi si legge in fronte il gran pensiero
Di non concluder nulla, e pensar tutto.
Ben nel volto talor sembro obbligante,
Ma poi saluto in far canzoni astratto
Egualmente la dama e il litigante.
Eccovi qual chiedete il mio ritratto:
Lo mando in versi, e ho faccia d' ignorante;
Se 'l mandassi in color l'avrei di matto.

cesse fuit excogitare artificium quoddam. Prorsus in omni dicto & facto ostendebat id se unice gloriosum putare, quod esset cum virtute conjunctum, cujus tantam collegerat famam, ut qui illius domum frequentabant ad opinionem innocentiae commendarentur. Postremo tempore rebus humanis omnino vale dixit, ut paratius & securius mortem obiret, qui casus magno cum universae civitatis & bonorum luctu accidit X. Kal. Maii an. MDCXCIX. Ejus cadaver conditum fuit cum funeris pompa in Basilica S. Nazarii, atque in sepulcro haec posita inscriptio

---

Non lepide minus formam corporis, suosque mores carmine ad Eurillam effinxit, cujus carminis est initium:

Poichè nelle mie lodi a vele sparse
Prendeste il golfo.

Carolo Mariae Maddio

A Secretis Senatus

Graecae et Latinae eloquentiae

In Scholis Palatinis Professori

Superstes suorum amor

M. P.

Anno ejus mortis MDCXCIX.

Digitized by Google

FRANCISCUS LEMENIUS

Tanta fuit Maggio cum Francisco Lemenio naturae & studiorum similitudo, ut omnia fere in utroque paria fuisse facile dixeris. Natus hic est Laude Pompeja XI. Kal. Martias an. MDCXXXIV. nobilissimis parentibus Antonio Lemenio, & Apollonia Garatta, qui non tam generis insignibus, quam propriis virtutibus decorabantur. Quod in Francisco vel a prima aetate magna ingenii significatio apparuit, postquam a Francisco Bovio illustri grammatico, & a religiosis hominibus, qui Somaschi & Jesuitae dicuntur, humaniores litteras didicit, & a Barnabitis philosophiae, & a nescio quo

Valentino Trezza e Minimorum, ut ajunt, familia, theologia imbutus fuit, a parentibus, ut saepe fit malo litterarum fato, coactus fuit juris prudentiae operam navare. Hac de caussa aliquot annos Bonouiae & Ticini fuit, qua in urbe doctrinae insignia accepit, paullo post quam a Francisco I. Mutinensium Duce illa obsessa fuerat. Patriae redditus, tanta fuit apud omnes bonos illius caritas, ut nullum genus esset amplissimae dignitatis, quod illi paratum non esse judicaretur. Principio, postquam e vita jam excesserat illius pater, Decurio factus est, mox legatus in Hispaniam missus ad Margaritam Caroli II. illius Regni Regis sororem & Leopoldi I. Caesaris uxorem, qua feliciter obita legatione, alias hujusmodi suscepit, ut officia tribueret iis, qui pro Rege ipso res Mediolanenses administrabant, ac postremo jussus est Mediolani considere ea omnia tractandi caussa, quae e patria essent. Antequam haec acciderent, cum e vivis abiisset ejusdem Margaritae pater Philippus IV. omnesque Insubriae urbes certarent in honoranda reli-

giosissimi Regis memoria exequiis, atque laudatione, ceteras vicisse videtur Laus Pompeja, Latinam cum habuisset orationem Lemenius, qua probavit fuisse illum *magnum pietate, & magnitudine pium*. Quoniam ita instituerat vitae rationem, ut non solum cum aequalibus, quibuscum tanquam e carceribus emissus esset, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, perveniret, sed etiam cum majoribus natu prudentia, doctrina, omnique sapientiae genere contendere posset, erat in oculis clarissimae Provinciae, & vir sane summus Bartholomaeus Aresius, cujus virtus posteris omnibus erit clara & insignis, & in cujus familiaritate requiem plenam oblectationis inveniebat, dicere solebat, aditum ad Senatoria subsellia ei fore facillimum, si sui mentionem fieri sivisset. Sed is suo, non alieno arbitratu vivere decreverat, quae caussa fuit quoque, ut se orbari munere oratoris patriae suae vehementer petierit, magisterium in Ticinense lyceo recusaverit, spemque rejecerit succedendi Vidoni Cardinali, qui in ipsa patria Pontificatum gerebat. Virtutem amavit hujus viri, ac dicere sole-

solebat, ex omnibus rebus, quas sibi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil se habere, quod cum illius amicitia comparare posset. Cum eo Romam iterum cum concessisset (nam antea hanc urbem, ut & alias plures Italicas omnis peregrinae doctrinae investigator diligentissimus inviserat) multos invenit, qui eum hortarentur, ut sedem eo in loco collocans dignitati & gloriae serviret, sed is nunquam a proposito discessit de libertate retinenda, qua nihil dulcius ei erat. Hac quidem sic usus est, ut se omni copia doctrinae instrueret, illum se amisisse diem existimans, quo non aliquid didicisset. Haec profecto pluris aestimabat, quam illa, quae sunt fortunae, quae non semper melioribus adest, & bonis ipsis pericula creat. Omnibus illam facultatem praeferebat, quae continet & officii, & bene vivendi disciplinam, nec contentus rerum humanarum scientia, divinas, & errantium stellarum cursus, progressionesque cum toto illo mathematicorum instrumento proprio tenere vehementer studuit. Sed caussam celebritatis & nominis habuit a poesi, in qua

juvenis licet imitari sibi proposuerit Petrarcham & Chiabreram, & vestigia etiam persecutus fuerit poetarum quorumdam Graecorum, Latinorum, Hispanorum, Gallorum & Siculorum, horum etiam interdum linguam usurpans, nihil tamen, si perpauca excipias, ad nos pervenire sivit hujusmodi juvenilium exercitationum, in eo vim artificii & ingenii consumens, ut ipse ab aliis potius eligendus, quam aliorum bonus elector existimaretur. Adeo eum natura ad poesim formaverat, ut, illa tantummodo duce, cum vix explevisset duodecimum aetatis annum, romanensem illam fabulam, quae inscribitur *Guerrin meschino*, Italicis versibus reddiderit, neque multo post de reaedificata Laude Pompeja poema, cui ex reparatore Friderici nomen posuit, scribendum susceperit. Sunt & alia plurima documenta hujus naturalis boni, quod sic adultus excolendum putavit, ut omnia, quae litteris mandabat, ad artem, quae dux est certior, quam natura, & ad praecepta revocaret. Ex hac vero arte sua deprompsit mirificum genus poesis (nam quamvis in

prima adoléscentia ab amatorio minime se abstinuerit, hoc tamen postea sic improbavit, ut nihil hujusmodi extare voluisset) cujus praestantiam novitatemque omnes elegantiae & religionis studiosi in caelum extulere (*). Nil enim redolet nisi magnitudinem, potestatem. bonitatem, sapientiam divini numinis, ut omnes homines ad illud admirandum, colendum, placandumque excitarentur. Quid magnificentius, ut aliquid exempli caussa ponam, excogitari potuit ode illa, qua Deus ipse creans omnia exprimitur, quamque Maggius Correggii Pictoris, ut loquuntur, Nocti, qua tabula nihil pulchrius fieri posse putatur, comparare sole-

(*) *De eo cum caneret Redius, ait (*Ditiram.*)*

Il pastor di Lemene
. , . . che giovanetto scrisse
Nella scorza de' faggi e degli allori
Del Paladino Macaron le risse,
E di Narciso i forsennati amori;
E le cose del ciel più sante e belle
Ora scrive a caratteri di stelle.

bat? Ille mortis & daemonis triumphator quam vivis coloribus pingitur? Quantis verborum & sententiarum ornamentis exponuntur abstrusiora theologiae mysteria? Prorsus dum, duce & magistro Thoma Aquinate, cujus sententias poetice declarare summae sane difficultatis res erat, Deum canit Lemenius, divini aliquid in eo inesse facile dixeris, ut non grandiorem plenioremque vocem desideres. Grandiloquus etiam fuit cum ampla sententiarum & verborum majestate, cum carminibus celebrasset laudes Ludovici Gallorum, & Jacobi Britannorum Regum, nec non Lotharingiae Ducis, aliorumque Heroum, quorum virtus in bello maxime enituit. Nova & a se postulare putavit illud poematum genus, quorum dignitas cum venustate conjungitur, & in quo artificium summum tenuisse videtur. Illustre sane hujus documentum dedit iis in carminibus, quae inscripsit *il Rosario*, quorum suavissimo odore, qui non capiatur, minime stuporis reprehensionem vitabit. Dedicavit hoc opus Eleonorae Austriacae Poloniae Reginae, quam alloquens tanta pulchritudine ornavit

carmen suum, ut illud facilius laudare, quam aemulari possimus. Sacra inter poemata Lemenii enumeranda quoque sunt melodramata plura (*), quae non tam elegantia, quam inventione, atque dispositione plurimum commendantur. Mens illi erat Davidicos etiam Psalmos versibus Italicis reddere, quod felicissime tentavit, verum ne absolveret mors impedivit. Qui non erant nescii quanta ejus potestas esset in omni re poetica tractanda, exigere ab eo videbantur, ut sacrum poema epicum exarandum susciperet (**), quod idcirco se non

---

(*) *Nos Itali* Oratorj *dicimus. Horum nomina sunt* S. Cecilia, Giacobe al Fonte, S. Giuseppe moribondo, il Secolo Trionfante, il Cuore e la Carità per S. Filippo Neri, il Premio e la Pena per la B. Panacea, il Sacro Arione per S. Antonio da Padova. *Ab eo quoque prodiit* Serenata all' antro di Betleme, *& alia hujusmodi ad divina mysteria recolenda facta, & elegantissimis versibus exornata.*

(**) *Hac de re extant litterae Antonii Julii Brignolis Jesuitae hominis ad Lemenium ipsum. Vi-*

Digitized by Google

facturum respondit, quia sibi deerat opera, quae non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat. Illae poeticae virtutes, venustas, facilitas, perspicuitas, copia, naturae imitatio, inventio, ars inventa disponendi, artifex, ut ita dicam, stylus, qui omnia limat atque ornat, & aliae hujusmodi plures sane erant in facultate Lemenii, quibus fiebat, ut quidquid scriberet, elegantius atque accuratius scribi non potuisse judicaretur. Vel sectantem levia veneres, nervi animique minime deficiebant, & habet multa, quae qui legat

. . . . sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem.

Nec quae prima fronte probaveris, repetenti minus placebunt, & hoc ipso delectabe-

---

de: Memorie d' alcune virtù del Sig. Conte Francesco de Lemene con alcune riflessioni sulle sue poesie esposte dal P. Tommaso Ceva della Compagnìa di Gesù p. 141.

ris, quod non statim omnis illa praeclara & eximia species perfecti poetae ac pulchritudo secerni potuerit. Scenae & tribuit pastoritias fabulas, quas inscripsit Apollinis Nympha, Endymion, & Narcisus, quae omnes actae fuerunt in celebrioribus Italiae theatris. Patria & dialecto comoediam fecit, quam omnes bis terque cum risu mirati sunt, quod in ea vitiosi mores ad vivum expressi appareant tum hominum, qui a temperantia & moderatione plurimum absunt, cum feminarum, quarum acerbitas & morositas temperari nulla ratione potest (*). Loquentes etiam induxit homines, quibus vinum diffusum e pleno sit oenophoro,

---

(*) *Dialogos etiam quosdam comicos confecisse dicitur, quos interposuit dramati Hieronymi Lilii, quod inscribitur :* La fede ne' tradimenti, *tum cum primum illud actum fuit Laude Pompeja. In omni scriptione, quae sermonem familiarem imitari debebat, prorsus mira erat ejus elegantia, utque teneret Etruscae dictionis venetes omnes, summo studio effecerat.*

eo in carmine, quod *Bacchanale* inscripsit, quodque majorem vim assumere tibi videbitur, quo magis canentes vino calescunt. In hoc aliisque carminum generibus eam sequebatur rationem, ut saepe communia proprie diceret, quod difficile esse recte monuit Horatius, utque dicta jocis elegantibus atque urbanis adspergeret, in quo longe aliis excellere putabatur. Ea propter vel a prima adolescentia ludicrum poema, cui nomen fecit *la Maccaronea*, scribere instituit, quod non perfecit, cujusque, ipso invito, primus liber ad hominum manus pervenit. Nam dolere saepe debuit in vulgus sparsa & typis commissa etiam fuisse carmina, quae prorsus latere ipse optasset, qua de re extant ejus epistolae ad Christinam Svecorum Reginam, a qua reprehensus fuit, quod plura tum Italica, tum Latina, ac praesertim amatoria flammis consignasset. Aegre adduci potuit, ut emitteretur drama, quod ejus rogatu fecit (huic nomen est *Eliata*) & questus est demptas ex eo fuisse scenas quasdam, quas ejusdem Reginae laudibus tribuerat. Nec defuere,

qui levia quaedam ejus carmina existimari voluerunt sua, qui vero toti erant in iis colligendis, & memoriae etiam mandandis, vel ea efferebant, quae ipse non extare voluisset quippe quae vel festinanter nimis, vel ex tempore fuderat. Hujus generis ludicra praesertim fuere, quibus modice, honeste & scienter uti vel senilem aetatem minime dedecere arbitrabatur. Dicere enim solebat inopes humanitatis, ac prorsus inurbanos eos esse, qui si risum movere, ridere saltem nescirent, suoque exemplo docere poterat liberales jocos non modo jucundos esse, sed etiam utiles, quod per eos interdum egerit aut negotium publicum, aut amicorum, aut suum, aut odia, dissidia atque discordias extinxerit. Sane non dubito quin si de ludicra dictione aliquis nunc scribendum susciperet, plurima ex carminibus Lemenii collecturus esset salse, acute elegantissimeque dicta, in quibus efferendis multus quoque fuit Thomas Ceva eo in libello, quem supra commemoravimus, quemque laudibus ejusdem concessit. Quare minime est mirandum, si

omnes illius aditum, sermonem ac familiaritatem avidissime quaerebant, quae erant gratiora, quod non modo re & dictis, sed & vultu ipso probitatem, mansuetudinem, atque humanitatem ostendebat. Fuere, qui illum Lucio Crasso compararunt, de quo merito praedicavit Cicero, illi contigisse uni, ut omnium venustissimus & urbanissimus, omnium gravissimus & severissimus & esset & videretur. Nemini vero incommoda erat severitas Lemenii, quia omni acerbitate carebat, & ad omnia dicta & facta sua officio moderanda conducebat, ut vel ea effugeret, in quibus peccari vulgus hominum non putat. Etiam atque etiam videbat, quid cuique praestari oporteret; quae christianis institutionibus sancta sunt diligentissime servabat; rei familiaris, modica contentus, rationem habebat, ut opis suae indigentibus subvenire posset; nemini consilia sua plena prudentiae ac fidelitatis denegabat; mira erat dexteritate in consociandis animis, quos jurgia & domesticae controversiae distraxerant, cumque veri juris, germanaeque justitiae solidam & expressam

Google

effigiem teneret, ex optimis naturae & veritatis exemplis ea proferebat, quae manabant latissime ad societatem hominum inter ipsos, & vitae quasi communitatem retinendam. Ea propter facillimi erant aditus ad ipsum, sive in urbe, sive rure habitaret, ac nemo ab ipso discedebat, qui non admiraretur ejus probitatem, prudentiam, humanitatem modestiam, atque in omni recta re constantiam, vix ut doctrinae laudibus relictus esse locus videretur. Cum nihil non illi tribuerent ejus cives, non modo gravissimis in rebus ejusdem operam adhibebant, sed etiam in iis, quae ad oblectandum populum, ac publicum gaudium significandum decernebantur: mirus enim erat inventor, & quasi architectus veritatis, quo fiebat, ut de omni liberali arte, cui naturae imitatio proposita est, recte judicaret. Tantam omnium laudum excellentiam, quanquam prima fronte minime judicasses quantus vir esset, vel summi Principes non Italici modo, Etrusci, Parmenses, Mantuani, Mutinenses, ipseque summus Pontifex Innocentius XI., sed etiam Transalpini he-

norarunt praeconiis, donis, aliisque benevolentiae declarationibus. Neque his contentus Ferdinandus Carolus Mantuae Dux ipsum, suosque omnes Comitum titulo decoravit. Quod autem praemium ipse suorum laborum exoptasset, moriens praesertim patefecit. Nulla enim in re maluit, quam Deum colendo, & placando constans & esse & videri. Qui atrophia antea tentatus fuerat, postremo tempore aestu febrique jactatus diem obiit supremum IX. Kal. Augusti an. MDCCIV. cum complesset annos septuaginta, menses quinque, totidemque dies. Orationem de laudibus illius dixit Antonius Panigatus e Somascorum, ut ajunt, familia, qui in Ticinensi Lyceo eloquentiam docebat, monumentumque marmoreum habuit a caritate civium, quo in monumento haec sculpta inscriptio fuit.

PUBLICO DECRETO LAUDENSIUM

MONUMENTUM HOC POSITUM

POETAE ILLI CELEBERRIMO

ORDINIS PATRICII

FRANCISCO DE LEMENE.

HAEC CIVITAS ILLI PATRIA EST

HIC TUMULUS, HIC CINIS.

OBIIT IX. CAL. AUG. MDCCIV.

VIX. AN. LXX.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

FRIDERICO MANFREDINIO

Magni Etruriae Ducis Domui

Praefecto

S. P. D.

Ain tu? Existimas ab ullo malle mea legi, probarique, quam abs te? Cui igitur mittam prius, quam tibi, quae de Josepho Toaldo historiae monumentis mandavi? Hominem insigni doctrina, pietate, fide, virtute praeditum, dum in vivis fuit, amasti, mortuum laudibus celebrare non cessas, quibus si meas addidissem, rem tibi gratam me

Digitized by Google

facturum putavi. Tuum autem erit, etiamsi a me minus dicentur omnia, quae praedicari de eo possunt, animo & cogitatione comprehendere, quaeque narrabuntur, auctoritate tua commendare iis, quibus mos est, ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, veluti ficta pro falsis ducere. Tam longe quidem a majorum consuetudine recessimus, ut si quis ita vixerit, ut propter virtutem, & in virtute gloriaretur, idque curaverit maxime, ut quiete, & pure, & eleganter actae aetatis placida & lenis esset senectus, vel ab iis despiciatur, a quibus erat coli solitus. Vellem equidem ne hoc mihi vere dicere liceret, sed si minus consequi possumus, ut quae virtuti laus debetur, ab omnibus tribuatur, nos malo solatio, aliquo tamen consolabimur, quod eorum vicem doleamus, qui in praemiis humanis spem ponunt rerum suarum, quique aliquid esse putant eam gloriam, quae obruitur hominum interitu, & oblivione posteritatis extinguitur. Nam si, ut praeclare ait Cicero, nihil aliud est gloria, nisi consentiens laus bonorum, & incorrupta vox bene judican-

tium de excellente virtute, qui vitam minime exercent in optimis rebus, ut ab iis justitiae, fidei, pietatis, continentiae, omnisque honesti peti exempla possint, amplissimis licet decorentur dignitatis gradibus, infimum civitatis locum ipsos tenere judicabimus. Magna, inquiet aliquis, bella gessi, magnis imperiis & provinciis praefui. Gere igitur animum laude dignum, recta sequere, gaude officio, fac omnino, ut virtutum comitatu septus in potestate sic te adhibeas, ut nulla alia potestas ab iis, quibus praesis, desideretur. Haec te facere, & fecisse gaudebis, haec constante fama & omnium sermone celebrabuntur, haec non unius diei gratulationem, sed nunquam intermorituram gloriam tibi comparabunt. Si mihi apud agrestes homines habenda oratio esset (de prudentissimis minime loquor, quibus haec inaudita non sunt) qui libertatis nomine alliciuntur & gaudent, inculcarem iis, quod vere a Cicerone usurpatum fuit, neminem liberum esse posse, nisi eum, qui didicerit frenare libidines, spernere voluptates, coercere avaritiam, ceterasque animi labes a se

re-

repellere, qui legibus non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maxime judicat, cujusque omnia consilia, resque omnes, quas gerit, eo referuntur, ut quidquid laudem habeat honestatis, cujus eadem, quae utilitatis, censeri debet regula, nec invite, nec coacte faciat. Beatas quidem illas arbitrabimur esse Respublicas, in quibus hujus libertatis vestigia plurima apparent, & gratulabimur Etruriae, quod singulari Dei beneficio talis ei contigerit Rector, qui, virtutibus & vitiis exceptis, omnia in summa aequalitate posuisse videtur, qui nil potius habet, quam suscipere & conservare benevolentiam civium, eos inflammare recti & aequi amore, illos honoribus decorare, quorum eminet prudentia, probitas atque fides, cum sit ipse harum virtutum exemplar, quique omnia sua non modo facta, sed etiam dicta sic moderatur, ut in iis nil videre liceat nisi pudicum, castum, religiosum, moderatum, &, quod ab juvenili aetate minime expectaveris, providentissimum. Quemadmodum perniciose merentur de Republica vitiosi Principes,

quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, ita boni plus exemplo, quam legibus prosunt, quod in iis, tanquam in speculo, quod specimen virtutis capi debeat, omnes intueantur. Profecto tu optime FERDINANDO III. *consuluisti, quod vel a teneris unguiculis ad omnem concipiendam sapientiam ipsum formaveris, quodque in gubernanda re publica talis fueris, & sis consiliarius & auctor, ut per te maxime Etruriam a belli calamitatibus, in hoc tanto universae Italiae incendio, fuisse servatum grate omnes fateamur. Restat, ut eo sis animo, quo soles esse, forti, constanti, invidiae & malevolentiae contemptori, utque ea gloria, quam tot laboribus, ac vigiliis tibi comparasti, in amicorum ingenuarumque artium sinu tranquille fruaris. Vale.*

Pisis III. Non. Martii MDCCXCVIII.

Digitized by Google

JOSEPH TOALDUS

Magnum sane Josephi Toaldi nomen fuit non solum apud Italos, sed etiam apud exteras gentes, quod multiplex & varia doctrina, sed praesertim quae de meteorologicis phaenomenis observavit & docuit, illi conciliarunt. Is in lucem editus est V id. Quintilis an. MDCCXIX. eo in Vicetinorum collium loco, qui *Pianezze* nuncupatur non longe ab oppido Marosticae, parentibus Jo. Baptista Toaldo & Elena Barbiera. Quae puerili institutione tradi solent, paterna in domo accepit. Ut vero coepit adolescere, ductus ad Seminarium Patavinum, quo nullum erat in universa Italia

illustrius, edere acerrimi cujusdam ingenii documenta non destitit, ut nihil non magnum parentes de eo sperare possent sui. Quanquam philosophiam & mathesin praesertim adamaret, theologiae tamen sic dedit operam, ut ab ea lauream, & locum in theologorum collegio acceperit, quo ornamento insignitus, & sacris initiatus, munus suscepit docendi in ipso Seminario grammaticam primum & rhetoricam, mox philosophiam & mathesin. Duce Josepho Suzzio penetraverat ad Cartesianae & Leibnitianae analyseos mysteria, cujus amore multos inflammavit, quamque excolere ipse nunquam destitit, usque eo, ut monere praeceptorem potuerit, quae de solutione, ut loquuntur, casus Cardanici vulgaverat, a veritate plurimum abesse, qui sane error multum valuit ad minuendam famam, quam ex sua singulari doctrina polliceri sibi potuisset. Qui industriae fructus ex illius scientia capiebant, laudabant in praecipiendo diligentiam ac perspicuitatem; si quos vero invenisset, qui minime acuto ingenio praediti fuissent, non recusabat omnia mi-

nima mansa, ut nutrices infantibus pueris solent, iis praebere, vel ipsos ad alia studia transferebat. Non mediocre vero attulit beneficium physicarum & mathematicarum rerum studiosis, cum praefuisset editioni operum Galileii, quae Patavii curata est, quamque praefationibus, brevibus commentariis, scriptisque ineditis exornavit & auxit. Nam uti acerrimo ingenio, ita praestanti judicio praeditus erat, quo fiebat, ut quidquid eligeret, optimum eligere judicaretur. Vi autem quadam naturae & ingenii elatus studio multa noscendi, otium & solitudinem quaesivit, auctusque an. MDCCLII. honestissimo sacerdotio a Rezzonico Cardinali Patavinorum Antistite (Archipresbyter Montegaldae dicitur) quidquid illi supererat temporis a Parocorum officiis, in quibus erat diligentissimus, totum insumebat in legendo, in scribendo, in commentando. Minime contentus notitia earum rerum, quas recentiores physici & mathematici, ac praesertim Cartesius, Newtonus, Leibnitius, ac omnium magister Baco a Verulamio tradiderant, veteres scriptores sic pervoluta-

vit, ut peritissime de omni doctrina Archimedea, Platonica, atque Aristotelica disputare potuisset. Vehementer quoque delectatus est iis scriptoribus, qui moralia tractarunt, nec contempsit humaniores litteras, non tam voluptate cognoscendi adductus, quam utilitate. Nam quamvis a philosopho minime requisieris dicendi ornamenta, si tamen afferat, illum laudaveris plurimum. Quod ipse expertus est, id docuit ceteros. Nec mediocrem laudem ex eo retulit, quod cum ad eum divereteret Melchior Cesarottus, adolescens tum quidem, sed in numerum Praeceptorum Seminarii Patavini jam adscitus, & ipsius miram novisset indolem, quod iter illi esset ineundum, digito quodammodo monstravit. Quare dum is gloriatur se fructum immortalem cepisse Toaldi in se ipsum amoris & judicii, suam gloriam cum illius laude communicare velle videtur. Nihil est quod latius pateat, magisque expediat litteris, quam conjunctio inter homines hominum, qui illas excolunt, & quasi quaedam societas & communicatio utilitatum, qua de re exem-

plum sane illustre dedit Toaldus, cum vitam declarasset, & an. MDCCLIV. in vulgus emisisset Antonii Comitis. Postquam hic multorum mores & urbes viderat, seque omni peregrina doctrina ditaverat, domicilium Patavii collocavit, cumque domus illius apertissima esset omnibus iis, qui commendationem ingenii habebant, hanc sic frequentavit Toaldus, ut huic amoris erga se primas vir ille litteratissimus deferre videretur. Nec sane quidquam illarum rerum, quas noverat, illi occultavit, ex quo tulit fructus uberrimos, cumque mortem obiisset an. MDCCXLIX. legavit eidem omnia scripta sua, quod donum omni auro pretiosius habitum est tum ob memoriam carissimi hominis, tum ob notitiam maximarum rerum. Erat enim philosophus, mathematicus, poeta cum paucis comparandus. Hisce testimoniis, & industria prope incredibili, quam adhibebat Toaldus, ut instrueret se omni copia doctrinae, coepit esse in oculis civium, eorumque, qui Patavino Lyceo praeerant, quare facile an. MDCCLXII. munus obtinuit docendi in eo Astronomiam,

Geographiam, & Meteorologiam, quae di-
sciplinae tum ita tradebantur, ut praeceptio-
num jejunitas potuisset illudi. Itaque quo
citius hoc, quod susceperat, non medio cre
munus conficere quiret, petiit a Veneto
Senatu, ut astronomica specula exaedifica-
retur, & instrumentis ad capiendas obser-
vationes necessariis instrueretur, qua in re
minime ille passus est desiderari liberalita-
tem suam. Quod coeptum an. MDCCLXVII.
toto septennio magnificentissime sane abso-
lutum fuit, nec Toaldo, qui hac de caus-
sa illustriores Italiae speculas, Mediolanen-
sem, Bononiensem, & Pisanam invisit,
studium, aut cura defuit, ut omnia rite per-
ficerentur. Magna impensa coempta a Bri-
tannis instrumenta fuerunt, in quibus adhi-
bendis sic se gessit, ut in numero astro-
nomorum jure meritoque haberetur. Multas
observationes in ephemerides retulit, quas-
dam cum illustrioribus astronomis commu-
nicavit, nonnullas etiam publici juris fecit.
Hujusmodi sunt Dissertatio de methodo lon-
gitudinum ex observatione transitus lunae
per meridianum, de latitudine & longitudine

Patavii, schediasmata tria, in quorum altero receptas methodos accurate computandi observatas solares eclipses, vel fixarum stellarum occultationes breviores & faciliores reddit; in altero novam & expeditam methodum tradit praesignandi phases eclipsium solarium ad usum populorum accommodatam; in tertio observationem ac supputationem transitus Mercurii per solem, qui accidit IV. Non. Maii an. MDCCLXXXVI. exhibet, rationemque facilem indicat noscendi, quo tempore, quoque in loco Mercurii & Veneris transitus, ac similia caelestia phaenomena commode observari possint; ac demum, ne minima persequar, epistolae duae ad doctissimum virum Simeonem Assemannium de globo caelesti Cufico Borgiano. Prorsus optabat multos astronomiae, ceterarumque disciplinarum, quae cum illa conjunctae sunt, studio inflammare, eaque propter epitomen fecit vulgavitque an. MDCCLXXVII. operis Landii de astronomicis rebus, quo nullum copiosius & doctius prodierat, postquam biennio ante emiserat elementa sphaerae & geogra-

phiae, in quibus brevitatem cum perspicuitate conjunctam plurimum laudaveris. Magnum quoque adjumentum attulit non solum astronomiae, sed etiam rei nauticae studiosis, & decempedatoribus, cum vulgasset trigonometriae sphaericae & planae elementa cum tabulis trigonometricis, quibus rebus effecit, ut nunquam vehementius, quam ipso docente, astronomica studia in Lyceo Patavino viguisse judicaretur. Redibat saepe suis in caelestibus observationibus ad illud astrum, quod in infimo orbe radiis solis accensum una cum terra convertitur, quodque vim quamdam habere credidit non modo ad aestus maritimos excitandos, sed etiam ad phaenomena plurima meteorologica creanda. In his observandis atque notandis plurimum sane temporis & diligentiae adhibuit, neque contentus suis observationibus alienas quaesivit, quam ad rem magnum illi attulerunt adjumentum habitae a Poleniis patre & filio per totos viginti quadraginta quinque annos. Ex his tabulas confecit, aphorismos quosdam intulit, quibus consuli posse putavit iis praesertim,

qui medicinam faciunt, mari se committunt, & agros colunt. Atque in hoc genere, quamvis nihil certi afferri possit (& id sane egit Toaldus, ut, quod verisimile est, is voluisse videatur) in magna tamen varietate tempestatum & temporum in his observandis ita commorari convenit, ut caussa aliqua, si fieri potest, inveniatur, quare id eveniat. quidque sequi debeat. Quot quantaeque utilitates ex his observationibus manare possint, palam praesertim fecit Toaldus in opere, quod inscripsit *della vera Influenza degli astri sulle stagioni e mutazioni di tempo*, *Saggio meteorologico*, atque in illa dissertatione, quam non multo post misit ad Academiam Montis Pessulani, quae an. MDCCLXXIV. problema proposuerat, quid possint meteora in vegetandis plantis, quamque praemio dignam judicavit. Usus est Gallica lingua in hac exaranda, sed brevi cultiores nationes suas in linguas ipsam converterunt. Eo rem adduxisse gloriabatur, lunaribus praesertim quibusdam cyclis descriptis, ut artem quamdam divinationis effecerit in eo, quod per-

tinet ad pluvias, ventos, calidas & frigidas tempestates, aliaque hujusmodi phaenomena. Vel ab antiquissimis temporibus multa diuturnus usus notavit, quae vim cognoscentem, & videntem, & explicantem signa quaedam, quae ab astris hominibus portendantur, continere videntur, sed nemo Toaldo firmius constituit ex observationibus auctoritatem divinationis suae, ut aliquam fidem debeant habere ejus praedictiones. Non defuerunt tamen, qui illius praecepta illuderent, affirmantes lunam, cui sane multum tribuit Toaldus in varietate temporum, mutationibusque barometri explicandis, nil aliud efficere, nisi ut eam lucem, quam a sole accipit, mittat in terras, ut gubernet aestus maritimos, aequinoctiorum precessionem, & nutationem terrestris axis. Disputavit praesertim his de rebus Paullus Frisius, & quid ille, quid contra Toaldus, quid ego sentirem, pluribus exposui in litteratorum Ephemeridibus, quas Pisis vulgare solebam. At non propterea Toaldus dimisit animum, mutavitque sententiam, & permagni aestimavit scripta sua sic efferri, ut

de iis omnes Academiae, omnesque litteratorum Ephemerides loquerentur, & multi ejus exemplo cohortationibusque excitati fuerint ad meteorologicas observationes habendas. Ab ejus nomine Periodi Toaldianae dictae fuerunt, omnesque plaudebant ejus instituto, quod tenuit per totos viginti quinque annos, ab anno incipiens MDCCLXXIII. edendi quotannis ephemeridem astro-meteorologicam, in qua spargebat multa, quae rationem reddebant ejus praedictorum, tradebantque praecepta, quae in omne tempus, & in omnem eventum interpretandum valere poterant. Sane scriptori neque ingenium, neque opera, neque ulla facultas defuit, quo minus posset naturales caussas phaenomenorum investigare, sed quo firmius id videatur esse, quod ipse proposuit, multorum saeculorum observationibus indigeremus, quae probarent, num, quibusdam positis, natura eosdem semper effectus gignat, & per quas varietates illas, quae interdum eveniunt, facile explicare possemus aliis rationibus certis & constantibus, quas naturam ipsam sequi noverimus. Profecto

Digitized by Google

minime dubitabat Toaldus, quin si multae observationes rite habitae colligerentur, & inter se conferrentur, plurima detegi possent, quae a natura involuta putantur. Qua incedens via eo pervenit, ut probare videatur, in errore eos versari physicos, qui lunarem lucem nullum in terra colorem efficere, qui sensu percipi posset, contendebant. Vidit enim circa plenilunium altitudinem thermometri majorem esse, quam circa novilunium, itemque circa lunare solstitium, quam circa brumam. Ex ejus sententia non lunari tantum luce (*) calor in terra gignitur, verum etiam vi illa, qua terrestria quaeque luna & sol ad se trahere videntur, unde maritimi aestus oriuntur. Fieri enim non potest, quin atmosphaera quoque, similiter ac oceanus, ea vi com-

(*) *Teste Bouguerio, lunaris lux tercentum mille vicibus solari languidior est, quo posito, consequi videtur, calorem, qui e luna emanat, minimum esse, & soli, a quo habuit, unice referendum acceptum.*

moveatur, & solida etiam corpora leviora fiant, unde exalationum, vaporumque, atque a leo latentis caloris explicatio, & emissio juvatur. Animadvertit etiam eam vim in syzygiis, quam in lunae quadraturis, ut astronomi lòquuntur, majorem esse, ex quo conjiecit majori sub illis, quam sub his terras calore teneri. Haec scripto consignavit, quod relatum est in volumen VII. Commentariorum de Bononiensi Scientiarum & Artium Instituto atque Academia. Non thermometri modo, sed etiam barometri ope vim lunae in atmosphaeram conjicere se posse putavit, qua de re in Berolinensis Academiae, cui erat adscriptus, Actis Dissertatio extat, ab eo sic exarata, ut omnes intelligerent, si paullo diligentius physici attenderent, nunquam fore, ut eam potestatem lunae denegarent, quam tot signis se habere compertam judicabat (*). Ad id ta-

---

(*) *Ex multis, quae Toaldus attulit, argumentis, hoc magni ponderis esse putatur, quod cum du-*

bulas barometri, & thermometri, aestusque maris accuratissimas confecit, quibus e Latina in Italicam linguam conversis locus datus est in Volumine IV. Ephemeridum Mutinensium, rationemque docuit emendandi ac rite fabricandi illa instrumenta, sine quibus meteorologiae scientia esse non potest. Multum hac in re tribuit physico sane clarissimo Luchio, cujus opus doctum &

la-

---

bitare nemo possit aestum maris a Solis & Lunae gravitate praesertim pendere, & moveri facilius posse aerem, quam aquam, hinc inferri necesse sit aereum fluxum refluxumque maritimo longe majorem esse, atque idcirco maximas in atmosphaera oriri debere mutationes. Qui huic adversantur sententiae, ajunt Lunae Solisque vires in aere concitando nil nisi oscillationes quasdam efficere, iis haud absimiles, quibus aequor agitatur, quibusque respondere debent aequidiuturnae mercurii in barometro oscillationes. Eae vero neutiquam in sensus cadere possunt, quod sub aequatore, ubi majores fiunt, mercurius non ultra duas millesimas pollicis partes in barometro excurrat.

laboriosum magna ex parte compendifecit, quanquam ab ipso tota sententia dissenserit in eo, quod pertinet ad mercurii in barometro descensum, cum caelum est imbriferum. Inter haec Manhemii Scientiarum Academia praemium proposuit, quo donarentur ii, quorum egregia fuisset industria in inveniendo *hygrometro*, *cujus puncta fixa & certa sint*, *& facile in ipsa instrumenti constructione determinari possint*, *cujus sensibilitas processu temporis non mutetur*, *in quo effectus caloris & certa & facili regula subtrahi possit*, *quodque demum non immodico pretio comparari queat*. Quae hac de re scripto separatim mandarunt tum Toaldus, tum ejus sororis filius Vincentius Chiminellius, palmam tulerunt, nec hunc modo honorem, sed etiam gloriam multarum observationum caelestium atque terrestrium cum eo partitus est ex eo tempore, quo honorificentissimo Senatus Veneti decreto adjutor illi datus est in astronomiae & meteorologiae cathedra, & successor dessignatus. Opus sane illi erat homine diligenti & docto, ut iis satisfacere posset, qui

ab illo exigere videbantur, ne cessaret ab observationibus, quae conducere poterant ad veritatem comprobandam illius cycli a se primum excogitati, in quo maxime nitebantur ejus praedictiones futurarum tempestatum. Huic *Saros* nomen dedit, idcirco quia Chaldaei appellabant hoc ipso nomine spatium illud temporis, quo luna tres & viginti supra ducentos menstruos cursus peragit, & ad sua puncta (*), ut astronomi

(*) *Anno* 1781. *Gallica lingua vulgavit librum, cui titulum fecit*: Le Saros meteorologique, & essay d'un nouveau cycle pour le retour de saisons. *In ingressu operis ait*: ayant eu par hasard besoin de manier (le Saros) pour des objets d'astronomie, il m'est venu dans l'esprit d'en fair l'application à la mètéorologie, raisonnant de cette maniere. Si la Lune a quelque influence sur l'atmosphère, sur les saisons, sur le temps, come il semble hors de doute: pendent qu'ellè retourne par le cours de ces 223. revolutions, en une suite egale de combinaisons, ou de *Points Lunaires*, elle deuroit ramener aussi, au bout de 18. ans, un cercle

loquuntur, redit. Alios lunares cyclos iis in libris, quos inscripserat *Saggio meteorologico*, & *meteorologia applicata all' agricoltura*, indicaverat, qui easdem tempestates revocare videbantur, sed omnibus novum hunc antetulit, cui mirifice convenire probavit observationes a se aliisque habitas per totos quinquaginta octo annos. In his immorans atque desudans fore tempora confidebat, quibus dogmata sua vel ab iis probarentur, qui veluti levia & infirma principio illudere ausi fuerant, & in hoc se solidum beneficium parasse agricultoribus praesertim gloriabatur, quod multa eos docuerat ad artem provehendam, qua nihil utilius a Deo datum hominibus fuit, & ad conjectandum, quae vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura esset, quo

d'impressions semblables dans l'air, c'est à dire, un retour de temps & de saisons; d'autant plus qu'elle se combine à peu près ensemble à la meme saisons Solaire.

quidem in genere, si ars quaedam conjectandi esse potest, neminem scientius versatum fuisse Toaldo contendendum est. Hoc quoque summis in ejus laudibus ferre debemus, quod id solum pretium curae existimavit, quod esset cum communi utilitate conjunctum, quodque erudire populum poterat ad ea noscenda atque amplectenda commodorum spe, quae ipse plana & prorsus populari oratione exponebat. Hac mente rationem docuit liberandi aedificia fulminibus, facile describendi horologia solaria; docuit & quae usui esse possent ad navigia facienda atque gubernanda, qua in arte, ut & in astronomia, quantum antiqui Veneti valuerint, opusculo edito an. MDCCLXXXII. declaravit. Non mediocrem quoque laborem suscepit, ut tabulas vitalitatis (sic eas inscripsit) conficeret, in quas tanquam in speculum inspici posset, qui sit naturae ordo in vita vel auferenda, vel conservanda, quam non immerito vasi cylindrico aqua repleto, in cujus fundo foramen apertum sit, assimilavit. Nam quae principio copiose, mox lente fluit. Cum ejus

praestantem prudentiam cognosceret Senatus Venetus, multis in rebus, quae prodesse Reipublicae poterant, ejusdem opera usus est, & in ipso spem maximam habuit, fore, ut quae Patavii instituta fuerat Scientiarum & Artium Academia, ejus scriptis maxime illustraretur. Qua in re minime est passus desiderari diligentiam & studium suum; ex iis autem, quae ad eam detulit, quorumque indicem infra subtexemus, facile intelligi potest non caelestium modo & terrestrium rerum, sed etiam antiquitatis diligentissimum fuisse investigatorem. Quam gaudebat, quoties contemplabatur factum Principis liberalitate ac providentia, ut iis in regionibus, quibus dominabatur, ac praesertim Patavii, abunde omnia essent, quae ad omnes artes ac disciplinas colendas, & ad omnia vitae commoda, atque oblectamenta facile paranda conducere poterant, totque iisdem regionibus naturae bona concessa fuisse, ut nullas beatiores esse diceret! Quare minime dubitavit insaniae propemodum eos accusare, qui alienas quaesiissent. Quando ipse invisit Romam, Neapolim,

Digitized by Google

Etruriam & Tergestem (accidit id anno MDCCLXXXVII. & eo, qui consecutus est) hominem cognovisses moderatum in itinerum commodis atque incommodis comparandis, sed quia omnia referebat ad mores justos, integros, religiosos revocandos, & multos videbat stultos adolescentes, qui patriam aspernantes idcirco peregrinabantur, ut se externis atque vitiosis oblinirent moribus, id illum movit ad exarandum opusculum, quo improvidos, & qui honestam viam ingredi cogitabant, a suscipiendis itineribus retrahere voluisse judicaveris. Nam tum maxime se servire Reipublicae arbitrabatur, cum sua prudentia inscitiam ineuntis regebat aetatis, quam non solum arcere a libidinibus omnique corruptela, sed etiam exercere in labore patientiaque & animi & corporis voluisset, ne patriae deessent cives, quorum in bellicis & civilibus officiis vigeret industsia. Non facile quidem invenisses patriae studiosiorem hominem, paratioremque ad ea omnia exequenda, quae e re illius esse videbantur. Neque minus in privatis amicorum negotiis, quam in publicis

procurandis ejus diligentiam spectasses. Nam natura sic eum formaverat ad humanitatis sensum, ut omnibus in vita commodis una cum iis frui, quorum se amicitiae dedidisset, & eumdem casum una ferre, si quid adversi accidisset, velle videretur. Nam nil tam detestabatur, quam falsos amicos, qui sereno vitae tempore praesto sunt, sumul atque hyemem fortunae viderint, devolant omnes. Multi quidem extitere, qui illius opera commendationibusque dignitates, honores, industriae subsidia se obtinuisse, & ex gravibus procellis ad incolumitatem pervenisse grate testati sunt: nihil enim in tota vita egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Haec naturae bonitas apparebat etiam in omni ejus sermone miti, leni, hominem prudentem & officiosum prodente, ex quo etiam illud assequebatur, ut si quis ei male diceret, petulans, aut plane insanus esse videretur. Si de seriis rebus loquebatur, severitatem adhibebat, si de jocis leporem, & omnis cura ejus solebat in hoc versari semper, ut, si posset, boni aliquid efficeret vel jocosis

dictis, vel ridicula narrando. Providebat ne vitium aliquod indicaret inesse moribus, dum odorabatur quam sagacissime, qua ratione ii, qui a recto itinere deerraverant, in viam reduci potuissent. Rectum est enim, etiamsi nobis indigna audiamus, mansuetudinem retinere, & cavere, ne quid acerbitatis habeat objurgatio. Id etiam sibi agendum putabat, ut, quoniam saepe incidimus in homines, in quibus praeclare agitur, si sint simulacra virtutis, hos ita coleret, nemini ut suspicionem moveret, se nimis severum esse ratiocinatorem officiorum, & addendo deducendoque callide inquirere, quantum cuique tribuendum esset. Elucebat maxime probi ingenii lumen, cum aut de domesticis negotiis, aut de Republica, aut de virtutibus & vitiis, morumque institutorumque commutatione, aut de artium studiis & doctrina dissereret; nam quid faciendum, fugiendumque sit, ita explanabat, neminem ut vituperaret, nemini assentaretur, se ipsum minime extolleret, & ea cupere, quae tranquilla & honesta sunt, & in omni sermone se omnibus, & vel feminis ipsis affa-

bilem & jucundum esse velle ostenderet. Rectum etiam putavit in iis, quas habuit, litterarum caussa contentionibus, gravitatem & mansuetudinem retinere, iracundiam repellere, & de se ipso minima praedicare, quanquam jure meritoque gloriari potuisset, magnum se addidisse decus Lyceo Patavino, quod tam accurate fundatas & extructas utilissimas disciplinas, astronomiam, & meteorologiam illi relinqueret. Multum ipsi licet studii & temporis fuerit in doctrina percipienda, nunquam tamen praetermisit, quae sunt hominis religiosi officia, & ea praesertim, quae in communitate cernuntur, & in societate generis humani. Praefectus sacerdotio, quod vocant S. Trinitatis (*), quod cum Montegaldiana paroecia

(*) *Hujus Sacerdotii templum olim erat extra urbem Patavium, illo everso, imminente Maximiliani obsidione, animarum cura demandata fuit vicinis Parochis. Sed hi Vicarii esse censentur Rectoris Sacerdotii S. Trinitatis, ejusque reditibus sustentantur.*

an. MDCCLXVI. commutavit, quantum per aetatem & publica munera licuit, Collegii Parochorum conventibus interesse, & ea curare non destitit, quae Ecclesiae decori, & populorum saluti conducere videbantur. Facilis & lenis in dicenda sententia, simplex & apertus in vita agenda existimari volebat, quare si ejus mores prima fronte, vel eminus inspexisses, unum aliquem e populo judicasses, verum si propius ad illum accessisses, & in ejus consuetudinem te insinuasses, praestantiam virtutesque viri, tanquam odorem ex affrictu sensisses. Vitam produxit ad septuagesimum usque & octavum aetatis annum; nam apoplexi triduo antea correptus obiit III. id. Novembris an. MDCCXCVII. magnum sui desiderium omnibus relinquens.

OPERA EDITA

1. Vita dell' Ab. Conti: Venezia appresso il Pasquali 1755 in 4.
2. Trigonometria Piana e Sferica colle tavole Trigonometriche: Padova nel Seminario 1769. in 4. *Semel iterumque recusa cum additamentis an. 1772. & 1794. iisdem Seminarii typis.*
3. Della vera influenza degli astri sulle stagioni e mutazioni di tempo, Saggio Meteorologico: Padova nel Seminario 1770. in 4. *Quod festinanter nimium principio ediderat opus, perfecit postea, multa in illud addens cum recusum fuisset annis 1781. & 1796. Gallicam in linguam conversum typis impressum fuit Camberiaci an. 1784.*
4. Novae Tabulae Barometri, aestusque maris: Patavii typis Seminarii 1771. in 4. *Italicam in linguam versae editae fuerant in ephemeridibus Mutinensibus. Vol. III.*
5. Del ritorno degli anni Stravaganti, Discorso: *Extat* nel Giornale d'Italia appresso il Milocco: Venezia 1772. Luglio..
6. Della maniera di difendere gli edifizj dal fulmine: Venezia appresso il Pasquali 1772. in 4. *Sine nomine; recusum Parmae 1774.*

7. Compendio della Sfera, e di Geografia ad uso delle scuole: Venezia appresso il Bettinelli 1773. in 8.

8. Dei conduttori metallici a preservazione degli edifizj dal fulmine, nuova Apologia: Venezia 1774. appresso il Zatta.

9. La Meteorologia applicata all' Agricoltura, Memoria che riportò il premio della Società R. di Montpellier: Venezia 1775. in 4. appresso Storti: *Germanicam in linguam conversa Berolini prodiit* 1776. *in Gallicam* Giornale di Rozier 1777. *in Hispanicam Segoviae* 1786.

10. Discorso sopra i Barometri, che contiene la difesa dell' esperienza del Leibnizio. *Extat in Ephemeridibus Mutinensibus Vol. V.*

11. Emendazione de' Barometri e Termometri: Venezia appresso il Milocco nel Giornale d' Agricoltura.

12. De aestu reciproco maris Adriatici. *Extat in Transationibus philosophicis Londinensibus an.* 1776.

13. Memorie sopra i conduttori, raccolta migliorata ed accresciuta: Venezia appresso Storti 1778, in 8. *Opus hoc Gallicam in linguam translatum fuit, editumque Argentorati an.* 1779.

14. De changemens des temps, & d' une faute de Monsieur de Luc sur la boule du Thermometre &c. Journal de Rozier 1779.

15. De l'impulsion de la lune sur le Barometre. *Extat in Actis Academiae Berolinensis* 1779.

16. Saggio di Studj Veneti nell' Astronomia, e nella marina: Venezia appresso Storti 1782. in 8.

17. Le Saros meteorologique & essay d'un nouveau Cycle pour le retour des saisons: Padova 1781. in 4. Journal de Rozier 1782.

18. Degl' Influssi lunari in resposta all' obbiezioni dell Abb. Frisi. Giornale di Pisa 1782.

19. De methodo longitudinum ex observato transitu Lunae per meridianum; Patavii Typis Seminarii 1784.

20. Latitudo speculae & urbis Patavinae, ac longitudo Geographica: *Extat in volumine I. Scientiarum & Artium Academiae Patavinae edita an.* 1786.

21. Descrizione di una distinta aurora Boreale, osservata in Padova 29 Febrajo 1780. *Ibidem*.

22. Tavole di Vitalità; Padova 1787. in 4.

23. Confronto delle stagioni coi principali prodotti della campagna, Dissertazione epistolare, Padova nel Seminario 1787. in 8.

24. Metodo facile di descrivere gli orologj solari, o sia Trattato di Gnonomica: Venezia presso Storti 1789. in 4.

25. Memoria della qualità fisica delle Plaghe. *Extat in Vol. II. Patavinae Academiae*.

26. Epistolae duae ad Simonem Assemanum Linguarum Orient. Professorem de globo Coelesti Cufico Borgiano. *Extat in volumine, quod inscribitur*, Globus Coelestis Cufico Arabicus, *ab ipso Assemanno edito Patavii typis Seminarii 1790.*

27. De calore lunari. *Extat in Vol. X. Bononiensis Scientiarum Academiae edito an. 1791.*

28. Del Viaggiare, lezione Accademica: Venezia appresso Storti 1791. in 8.

29. Schediasmata astronomica: Patavii typis Seminarii 1791.

30. Fenomeno di alcune vampe di caldo in mezzo al freddo. *Extat in Volumine VI.* delle memorie della Società Italiana *1792.*

31. Investigatio caloris plurium Italiae locorum. *Extat in Vol. III. Patavinae Academiae 1794.*

32. Riflessi sopra i colpi di fulmine; *ibidem.*

33. Del passaggio d' Annibale per l' appenino, e della marcia da esso fatta per la Toscana; *ibidem.*

34. Della Fiamma volante, o sia globo di fuoco degli 11. Settembre 1784. osservato in Padova ed altrove; *ibidem.*

35. Giornale Astro-Meteorologico dal 1773. al 1798. Venezia. *Bettinellius tria priora volumina typis impressit, reliqua Stortus. In his ephemeridibus Auctor plures intulit dissertationes, cujusmodi sunt;*

Breve notizia del Calendario, o sia compendio di cronologia 1773.

Inverni straordinarj, e cronaca relativa 1777.

Ragionamento sopra l'anno 1777. e sopra le stagioni in generale, divisione meteorologica dell' anno 1778.

Confronto ragionato delle osservazioni meteorologiche di diversi paesi 1779.

Ragionamento sopra la lunga siccità dell'inverno 1779. *In ephemeride anni, qui consecutus est.*

Relazione di alcuni fulmini accaduti con osservazioni 1781.

Dei principali accidenti dell' anno 1783., della nebbia &c. 1784.

Problema metereologico, come due annate di seguito sovente si assomiglino 1788.

Congetture sulle stagioni &c. 1791.

Dei Conduttori, o Parafulmini 1795.

Sopra i circoli delle stagioni, e in particolare sopra un nuovo ciclo 1796.

Saggio sugli aspetti dei pianeti 1797.

Presagj Generali e particolari per il Golfo Adriatico, delle pioggie, e dei venti dall' aspetto del cielo 1798.

36. Notizie varie di fenomeni meteorologici, e descrizioni d' annate &c. Giornale enciclopedico di Vicenza *ab anno* 1782. *ad annum* 1786.

Digitized by Google

57. Osservazioni meteorologiche con discussioni. *Extant in voluminibus Academiae Palatinae & Patavinae*,

58. Osservazioni astronomiche. *In omnibus voluminibus sparsae sunt ejusdem Academiae Patavinae. Relinquit autem ineditas dissertationes his titulis inscriptas.*

Epoca della gran muraglia della China.

Spiegazione del fenomeno osservato dagli Olandesi, che videro dal mar Glaciale il sole molti giorni prima, che dovea comparire.

Illustrazione del Timeo di Platone.

Illustrazione del Planisferio in bronzo acquistato dall' Eminentissimo Cardinal Borgia.

Pensieri su i presentimenti dei corpi aerei.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

CAROLO BELLOGRADO

Utinensis Capituli Primicerio

S. P. D.

Tuae ut morem gereremus voluntati facile negotium suscepimus Jacobi Bellogradi vitam Latine declarandi, quanquam id supervacaneum judicari possit, postquam tu vir clarissime, docte, eleganter & copiose, edito Italico commentario de illius scriptis & moribus, ejusdem studiosis plane satisfecisse videris. Nihilo tamen minus si Latina utens oratione eos sic expressero, ut qui quantusque vir ille fuerit cognosci possit ab omni-

Digitized by Google

bus iis, quibus minime ignota est Romanorum lingua, operam me non perdidisse arbitrabor. Fuit aliquando tempus, quo omnes gentes (de iis non loquor, quas barbaras vocare solemus, quaeque omne litterarum studium cum humanitatis sensu abjecisse videntur) genus hoc sermonis positum in hominum veterum auctoritate tantum habere gravitatis, atque utilitatis putarunt, ut qui illius plane expertes essent, tanquam illiteratos atque idiotas illuderent. Sed nunc multorum, &, quod miraberis, vel eorum, qui se plus quam ceteros sapere jactant, increbuit vox, Latina vix iis, qui se sacris addixerunt, relinquenda, illa vetustate consenuisse, magno errore illos teneri, qui veterum elegantiam imitari se posse sperant, qui quidem si in aliquo genere sunt tolerabiles, certe non sunt in optimo, non sic notam esse Romanorum linguam, ut nota est eorum gloria, & balbutire eum necesse esse, qui aliena lingua, &, quod magis est, ut ajunt, mortua, animi sui sensus exprimere adlaborat. Quare si quis erit, qui narratione tenere auditorem,

aut eloquentia docere, delectare ac permovere cupiat, nativas linguas, nativos colores adhibeat, cum non sit ferendum a lexicorum potius conditoribus, quam a consuetudine dicendi verba & sententias explicari. Summae ne dementiae igitur damnabimus Sannazarium & Fracastorium, aliosque bene multos tum epicos, tum melicos poetas, ceterorumque multiplicium poematum scriptores elegantissimos, idcirco quia Latinam linguam Italicae praetulerunt? Oleum ne perdidisse judicabimus Longolium, Perpinianum, qui vires, lacertos, sanguinem cum quadam etiam suavitate coloris a Latinis mutuati sunt, ut haereticorum in rem catholicam impios conatus reprimerent? Caussam ne nullam fuisse arbitrabimur adhibendi Latii linguam Sigonio, Paleario, Mureto, aliisque plurimis, qui nostra, patrum majorumque memoria floruerunt in virtutibus, & artibus, quae magistrae virtutis sunt, laudandis, ut derisi & contempti ex oratorum numero ejiciantur? De historicis non loquor, adeo multi sunt, qui ad Caesaris, Sallustii, atque Livii laudem proxime accessisse viden-

Digitized by Google

tur, quorumque opera factum, ut illustria facinora, aliaeque res memoria dignae ad omnes gentes, omnemque posteritatem pervenirent. Sed quoniam oppressi jam sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum, qui quae a majoribus magno in pretio habita fuerunt, nunc contemnenda putant, quique, tanta est illorum mollities, vel potius segnitia, ferre nequeunt laborem fontes investigandi, unde non eloquentiae modo flumen erupit, sed & omnis praeclara ars ad nos manavit, novum quoddam confinxerunt dicendi genus, in quo verborum structuram, numerum, & propriorum & translatorum elegantiam, sententiarum autem compositionem, & ad rem probandam accommodatum ordinem frustra quaesieris. Adeo degeneravimus a majorum consuetudine, ut alienigeni vel in patria lingua adhibenda videri velimus, & quod est Etrusce loqui, id est pure & emendate, siquis studiosius persequatur, iterum puerascere existimetur, & eo stultitiae devenimus, ut admiratione eos dignos judicemus, quorum res gestae tantos illis spiritus attulerunt, ut non

solum in re publica gubernanda, sed etiam in formanda oratione omnia novari velint, quique nil loquuntur, quod mustum non oleat, aut aciem & ferrum non spiret. Quo summa opinionum perversitas, & studium perturbandi omnia, nisi Deus nos respexerit, evasurum sit, facile est divinare. Nos quidem nostris itineribus ire non cessabimus, & eo studiosius Latina tractabimus, quo pauciores erunt, qui illa prolubunt, ex quo intelligi poterit nec spe quaestus, nec gloria nos commoveri ad hoc scriptionis genus excolendum, nihilque tam cupere, quam ut industria quoque nostra morienti linguae solamen aliquod afferratur. Nobis profecto dies noctesque ante oculos versatur squallor urbis, cui litterarum Latinarum dignitas in primis commendata esse videbatur, dumque ejus casum dolemus, nil tam veremur, quam ne homines illos, quorum olim eminuit elegantia atque doctrina, necessitas ad ea detrudat, quae illorum ingenii non erunt. Sed finem querelis faciamus, & quod propositum est aggrediamur. Vale.

Pisis Kal. Octobris MDCCXCVIII.

Digitized by Google

JACOBUS BELLOGRADUS

Jacobus Bellogradus nobili genere, parentibusque Hieronymo & Magdalena Bellogradis Utini natus XVI. Kal. Decembris an. MDCCIV. magnam vel a tenerrima aetate spem excitavit fore patriae & suis ornamento. Hanc ipsam confirmavit postquam Patavii optimis praeceptoribus usus, quibus tum illa urbs abundabat, operam diligentissimam studiis dedit, cujus diligentiae si aetatem spectes (agebat enim XIX. annum) monumentum sane amplissimum extat in ea, quam dixit, Latina oratione de laudibus Jo. Francisci Barbadici Cardinalis, tum cum e Brixiensi ad Patavinum Pontificatum

translatus fuit: scripta enim est elegantissime & sententiis & verbis. Erant ei industriae stimuli cum paterna virtus, tum fratrum, quorum natu minimus erat, pervulgata & cognita doctrina, cumque talis esset, ut nil paestabilius judicaret morum innocentia sanctitateque, ad hanc excolendam opportunissimum sibi fore duxit, si Societati Jesu, in qua Utinenses plures tum maxime florebant, & qua nullam nec majorem, nec sanctiorem, nec bonis exemplis ditiorem esse putabat, nomen dedisset. Praestitit id Novellariae an. MDCCXXIII. expletoque tyrocinii biennio, Bononiam concessit, quo in loco philosophiae & mathesis praeceptorem habuit Aloysium Marchentium, qui a Varignonio, quocum familiarissime Parisiis vixit, didicerat qua ratione & via hae facultates essent & per se excolendae, & aliis tradendae. Fuit sane & praeceptori & discipulo gloriosum, quod hic dedit sui in iis studiis progressus publicum testimonium, post quod jussus est Venetiis eas litteras tradere, quibus pueri ad humanitatem informari solent. Cum omnis ex re

Digitized by Google

atque verbis constet oratio, neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba submoveris, majus quiddam, quám tum solebant humaniorum literarum praeceptores, vidisse Belloogradus videtur, qui antequam illas traderet, multo labore effecerat, ut se reconditarum rerum notitia instrueret, atque illa teneret, sive Etrusce, sive Latine scriberet, quibus ornari atque illuminari oratio putabatur. Et quia omnis loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus atque poetis, ex his, qui probatissimi judicantur, multa memoriter pronuntiare poterat, quorum oratione assuefactus, ne cupiens quidem poterat & loqui & scribere nisi plane Latine atque Etrusce. Erat Venetiis libentissime propter urbis amplitudinem, & propter amicitiam, quam sibi conciliaverat, Zeni, Comitis, Zendrinii, Rizzettii, & Marcelli, quorum pervulgata sunt nomina; divelli tamen ab his coactus fuit, ut theologiae operam Parmae navaret, quod studii genus, quanquam in eo plurimum profecerit, non

sic illum occupatum habuit (erat enim incredibili industria) quin philosophiae, mathesi, humanioribusque litteris, ac praesertim poesi, veteribus amoribus suis, aliquid temporis concederet. Splendidas & grandes, publicaque luce dignissimas odas illas summus sane Poeta Carolus Innocentius Frugonius judicavit, quibus laudes celebravit Francisci Tertii Sissae Comitis amplissimis a Caesare condecorati honoribus, & Francisci Regis, quo tempore in Sanctorum album relatus est. Latinis quoque carminibus miras laudes extulit S. Thomae Aquinatis. in quibus multa sunt obscura, quod, Malebranchio duce, explicare voluit quod sit artificium naturae in ingeniosis efformandis hominibus. Ad excolendas mathematicas disciplinas plurimum illi profuit arctissima consuetudo, quae illi intercessit cum Vincentio Ricatio, quem condiscipulum habebat, nec mediocria de ipso fama praedicasse videtur, quod antequam solemnia illa vota, quae erant Jesuitarum propria, emitteret, invitatus est ad illas ipsas disciplinas in Parmensi Lyceo profi-

Digitized by Google

tendas. Terraemotus horribilis eodem fermo tempore iis in regionibus factus est, cujus caussas investigare se posse putavit. Maximos aestivos calores (nunquam majores fuisse meminerant homines) maximae consecutae sunt autumnales pluviae, quae secum ferentes in terrae viscera novam igneam materiem, occludentesque vias, per quas in summa siccitate vetus penetraverat, hanc fervere, motu agitari, & explodi necesse fuit; quae sententia si minus vero similis tibi videbitur, non magnopere repugnabo. Neque multo post de aurora quadam boreali disseruit, notans phaenomena omnia, deque iis philosophorum sententias, quas dum improbavit, desperasse videtur illorum caussam posse probabilem inveniri. Haec tractans multos physicarum rerum studio inflammavit, nec sibi modo, sed & iis instrumentorum copiam ad capiendas observationes idoneorum comparavit, quarum ut esset commercium quoddam cum illustrioribus physicis fama, quae de illius doctrina jam percrebuerat, facile obtinuit. In eo quoque plurimum juvit Parmenses suos,

quod per illa tempora, constituta Parmae Romanae Arcadiae, ut loquuntur, colonia, cujus custos erat sane munificentissimus Sanvitalius Comes, summopere curavit, ut cum celebrioribus Italicis gloria in colendis poeticis studiis contendere posset. Jam munus suum exigere ab eo videbatur, ut omnibus probaret quanta diligentia esset in instituenda juventute ad omne mathematicarum disciplinarum genus. Id praesertim praestitit, vulgatis dissertationibus quibusdam, quas, expleto studiorum curriculo, discipulis suis, quorum emineret ingenium, in magna doctorum hominum frequentia defendendas proponebat. Initium fecit ab ea, quae inscribitur, *Acroasis historica & critica ad disciplinam Mechanicam, Nauticam Geographicam*, in qua tum veterum, tum recentiorum philosophorum illustriora inventa optimo in lumine collocantur, ex quibus intelligitur, quam parva fuerint illarum disciplinarum principia, & quibus progressionibus aucta fuerint, quod ipsum anno post praestitit in eo, quod pertinet ad hydrostaticam. Dum suis ponderibus perpen-

dit de corporum fluiditatis cauſsa physicorum sententias, nullam probare videtur, neque iis aſsentitur, qui ascenſum liquorum in tubis capillaribus vel attractioni, vel aliis hujusmodi cauſsis tribuebant. Multus fuit in confirmanda Leibnitii opinione de preſsione ſolidi corporis in vaſis fundum, cum per fluidum deſcendit, totque rationibus hac de re habita experimenta confirmat, ut dubitationi nullus relictus eſse locus videatur. Dum vero docet, qui hujus doctrinae uſus eſse poſsit in barometri varietatibus explicandis, eſse phaenomena quaedam admonet, quae ab illa diſcordant plurimum. Quaerebant tum physici quare fit, ut si in ovata quaedam vitrea vaſa, quorum fundus craſsus licet sit, immitatur lapillus, vel adamas tenuiſsimus, vel alia hujusmodi elaſtica materies, tota tamen rumpuntur, & in minutiſsima fruſta abeunt, cum integra maneant ob caſum plumbi aliorumque hujusmodi ponderoſorum metallorum, cui quaeſtioni, libello Patavii edito, ſic satisfecit, ut non veriſimile ſolum, ſed etiam verum cenſeret corporum elaſticorum mu-

tuo congressu vibrationes ac tremitus gigni, ac proinde fibras oportere distendi, distentas vero levi negotio disrumpi. De aeris vi, de machinarum potentia, & de liquorum aequilibrio veriora etiam se posse afferre speravit, in publico propositis centum usque supra decem propositionibus, quibus addidit criticam disquisitionem de atmosphaerae altitudine, multis experimentis & rationibus conficiens, falli eos, qui hanc ex vero definiri posse putabant. Is enim summe veritatis studiosus haud ferebat id sumi pro certo, quod dubium controversumque erat. Qua de caussa cum de gravitate corporum, deque eorum motu tum aequabili, tum accelerato scribendum suscepisset, magno acumine certa a dubiis sejunxit, dumque Wallisii, Hugenii, ac Newtoni sententias optimo in lumine collocavit, & quibus nitantur fundamentis ostendit, minime se abstinuit ab aliorum coarguendis erroribus, quorum exemplo commonefactus si quid proponebat, quod a se primum excogitatum fuisset, verecunde dubitanterque dicebat. Moderatae sapientisque doctrinae

illius in rebus physicis (de mathematicis non loquor, in quibus errori vix locus esse posse videtur) cum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile conjici possit, quanta opinio illius esset. Nam cum ad manus pervenissent clarissimi philosophi, cui propositum erat scientiarum historiam (*) contexere, quae de electricitate, deque corporum elasticitate docuerat, ait brevitate, simplicitate & elegantia commendari haec scripta adeo, ut ab iis omnes discere possent qua ratione & via philosophandum esset. Mira quoque ejus diligentia & solertia erat in capiendis physicis experimentis, adhibendisque, quae sunt hujus facultatis, instrumentis, ut partim nova attulerit, partim meliora fecerit. Aliquid quotidie novi nuntiabat discipulis suis, ut & illi, qui audiebant, a temeritate confingendi hypotheses in ex-

(*) Memoir. pour l' Hist. des Scienc. & Beaux-Arts.

plicandis naturae phaenomenis abessent, & ipse, qui dicebat, amicus eorum & veritatis esse videretur. Inter haec dabatur ei quoque otium ad eas artes, quibus a pueritia deditus fuerat, recolendas. Itaque rogatu Taurellii Episcopi ejus gentilis, qui Vallumbrosanae familiae nomen dederat, quique propter eximiam sanctitatem Beatorum honore condecoratus fuerat, vitam latine declaravit, quam totam Cornelium Nepotem imitatus politiori elegantia conspersit. Latinas & litteras ad Scipionem Maffejum Marchionem dedit, quarum unam si excipias de vitreis sphaeris, quae in terram jactae, dum franguntur, magnum rumorem edunt, cujus rei caussam tribuit externo aeri internum omni ex parte vicissim prementi, reliquae ad antiquitatem pertinent. Cum, magna Italiae parte peragrata, Neapolim se contulisset eo tempore, quo detecta fuit Herculanensium veterum urbs, unde haec sit orta, quo loco posita, quantis aedificiis, & a quibus ornata, quae terraemotu & Vesuvii eruptionibus perpessa fuerit, quas statuas, quas picturas, inscri-

ptiones & reliqua hujusmodi monumenta in apricum protulerit haec nostra aetas, sic disseruit, ut non facile reperire possis sive de Graecis, sive de Romanis antiquitatibus quod ei fuerit incognitum. Dum vero perpendit quantum in pingendi arte Graeci Romanis antecelluerint, cum iis comparat illustriores Italicos pictores, qui patrum majorumque memoria floruerunt, quidque sit id, quod undique aptum atque perfectum, expletumque suis omnibus numeris & partibus dicere possumus, satis perite judicat. Scripsit de antiquitatibus Herculanensibus & ad Antonium Franciscum Gorium, quocum egit etiam quanta firmitate, quantaque crassitudine essent figulini lateres, quibus veteres utebantur in majoribus aedificiis construendis, & de inscriptione quadam militari Arimini tum primum effossa. Hoc eodem tempore, quemadmodum supra innuimus, scriptum exaravit de phaenomenis electricis, deque corollariis, quae ex iis colligi potuissent, in quibus insignitae essent notae veritatis, quod ea mente fecit, ut avocaret homines ab excogi-

cogitandis hypothesibus, quibus se posse caussam explicare putabant, a qua illa ipsa phaenomena pendent. Dignum hoc opus judicavit, quod Philippo Borbonio Parmensium Duci inscriberetur, a quo praemium tulit amplissimum, renunciatus aulae mathematicus, & a confessionibus Regiae conjugis. Tantum autem ejus doctrinae morumque integritati confidebat, ut anno post sibi quoque adesse moderatorem conscientiae suae eumdem jusserit. Modicum haec tangebant hominem, a quo aberat plurimum honorum cupiditas, quique latere, quam in aulae luce versari maluisset. Nil tamen Principi optime de se merito recusavit, tantamque ab eo iniit gratiam, ut cognoscerent omnes neminem esse, quocum libentius & familiarius versaretur, cujusque consiliis magis moveretur. Quod cum in aliis rebus declaravit, tum maxime in abjicienda cogitatione cujusdam legis condendae, quae magnam populi offensionem cum rei publicae detrimento excitatura videbatur. Aperuit is prius consilium suum, quam rem perfecerit, quo audito, multi & vel ipse

Parmensium Antistes publici boni studiosissimus a Bellogrado petierunt, ut de ea re accurate scriberet, haud dubitantes magnam ejus auctoritatem fore. Hoc facto, non solum Dux a proposito deterritus fuit, sed palam summis extulit laudibus scriptoris prudentiam, libertatem atque fidelitatem. Officia plena suavissimi studii, quae Dominis praestabat cum ingenti laude non virtutis magis, quam moderationis, minime retardabant industriam suam in exarandis operibus, quorum utilitas ad omnes gentes omnemque posteritatem perveniret. Haec intermittere jussus, ut Genuam & Augustam Taurinorum comitaretur Elisabetham ipsius Ducis uxorem in Galliam proficiscentem revisendi caussa patrem Ludovicum XV. Regem, cui ante omnes erat carissima, magnis licet honoribus affectus, nihil prius habuit, quam ut Parmam & ad suas pristinas occupationes rediret, id sibi praesertim proponens, ut erudite, eleganter & docte explicaret illa, de quibus physicorum opiniones erant contrariae atque inter se dissidentes. Si oblique & valide lapidem in

Digitized by Google

aquam jeceris, subsilire eum videbis, cujus rei caussam unice assignandam esse docuit ipsius aquae elasticitati. Quanquam tota sententia ab eo dissenserit vir sane summus Lazzarus Spalanzanius, quae disputavit tamen disserere maluisse, quam judicare videtur, maximasque tribuit laudes tum doctrinae, tum elegantiae adversarii, quam in omni scriptione adhibendam sibi esse putavit, ut non modo lectorem rerum copia instrueret, sed etiam dicendi suavitate delectaret. Ceterum Bellogradi sententiam veriorem fuisse tum Londinensium, tum aliorum physicorum experimenta post eam controversiam in lucem emissa comprobarunt. Illa non minora judicabis, quae disseruit, ut confutaret Dominicum Guglielminium affirmantem fluviatiles lapides a montibus ad mare usque aquae vi circumagi, vicissim deteri, ac minui adeo, ut in arenam convertantur. Ne vero terrestria tantummodo contemplari videretur, observata a se se de solaribus & lunaribus eclipsibus, quae per illa tempora fuerunt, in lucem emisit, post quod rogatu feminae dignitate amplissimae

illorum errorem coarguit, qui astra, & lunam praesertim in terrestria corpora magnam vim habere contendebant. Quod ii rei confirmandae caussa argumenta sumebant ab aestibus maritimis, qui a luna quidem commoventur, ab ostreis & conchyliis, quae cum illa crescere putantur, ab arboribus, quae, nisi ipsa senescente, tempestive caedi non videntur, a plantarum satu, a sementibus, ab insitionibus, a menstruis, a morborum quorumdam symptomatibus, quae omnia luna accessu & recessu suo moderari vulgo creditur, quam haec levia, si illud prius excipias, essent, ipsa comprobante experientia, ostendit. Nullum tribuit calorem lunari luci, tantumque abest, ut ex maritimis aestibus inferri possit lunae vim in atmosphaeram, ut qui volent argumenta cum argumentis conferre, & experientiam, barometri praesertim ope, consulere, facile intelligant nihil illa habere commune, atque idcirco ventorum aliorumque meteororum caussam aliunde quaerendam esse. Dolebat eam esse in rebus physicis obscuritatem, ut facilius quid non sit,

Digitized by Google

quam quid sit demonstrari possit; ferre vero non poterat quorumdam audaciam, qui ad id, quod prima specie verisimile videtur, statim animum adjiciunt, & temere obstinateque defendant. Cum vero considerabat tot artes, tot scientias, tot inventa ortum a casu habuisse, suadendum veritatis studiosis haud esse ajebat, ut huic nimium tribuerent, qua de re cum separatim scribendum suscepisset, acutissimi metaphysici munus explevisse videtur. Nam postquam multis experimentis & rationibus declaravit quid casus una cum arte efficere possit, de idearum fere infinitarum origine & natura, quibus mens humana ditatur, copiose egit, quarum aliae sunt, ut sine voluntate, sine opinione suum quasi opus efficiant, aliae autem aut voluntate commoventur, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Ex iis aliae sunt perspicuae, aliae latent, aliae praecursione quadam & impulsu indigent ad se se excitandas, aliae nulla re se adjuvari postulant; omnes autem mirifice inter se nexae & jugatae sunt, tantaque est earum varietas

& multitudo, totque modis, vel intrinſecus, vel extrinſecus pelli poſſunt ad id, ad quod quodammodo affectae ſunt, inveniendum, ut qui vellet eos vel praevidere, vel numerare, vel gubernare operam perderet. Poſtquam haec ſubtiliſſime perſecutus eſt, explicavitque quae ſit humanae mentis actio in omni inventione, quae caſu fieri dicitur, refellit opinionem illorum, qui a concurſu rerum fortuitarum mundi miram fabricam ortum habuiſſe contendunt. Probat praeſertim caſum neque materiei, neque motus, neque legum, quibus gubernatur, neque inertiae auctorem eſſe potuiſſe, nec affert quidquam quod non deprompſerit ex interiori geometria, dialectica atque metaphyſica, nullum ut effugium relinquatur impiiſſimi & leviſſimi erroris architectis. Poſt has majores etiam res ſcribere eſt ingreſſus, & iis libris, quos brevi tempore ſatis multos de naturali philoſophia edidit, digniores. Nam an. MDCCLXI. emiſit operis, quod inſcribitur de utriuſque analyſeos uſu in re phyſica, volumen primum, anno vero poſt ſecundum, quae nuncupavit ju-

ventutis Principi Ferdinando Borbonio, cujus in omni recto studio summa erat expectatio. Suscepit quidem laborem utilem studiosis, facile ut cernerent sine analyseos subsidio mancam fore rerum naturalium scientiam, sibi vero gloriosissimum, quod hoc artificio ducenta atque amplius problemata solverit, quae prima putantur in re mechanica & dinamica, hydrostatica & hydraulica, nautica, astronomica, architectonica, atque geographica. Quanquam difficile sit enumerare quot viri, quanta scientia, quanta in suis studiis varietate fuerint, qui aliqua in re una separatim elaborantes reconditis atque abditis e fontibus analyseos copias hauserunt ad nova detegenda, obscura illuminanda, & dubia confirmanda, vere tamen illud dici posse videtur, neminem ante Bellogradum extitisse, qui copiosius probaverit illam latissime patere, ad plurimasque pertinere facultates. Quam ob rem illi statim facta est gratulatio a summis mathematicis Alembertio, Clairautio, Meranio, Sagio, Landio, quorum honorificentissimis testimoniis an. MDCCLXII. lectus est in co-

rum numerum, quibuscum Parisina Scientiarum Academia de rebus physicis & mathematicis commercium habere solebat. Sibi quoque honori duxerunt plures Italicae Academiae ipsum numerare in suis, meritas ejus doctrinae laudes tribuentes, nec erat quisquam in universa Cisalpina Gallia vel mediocriter doctus, qui eum non honorificentissime appellaret. Sed nescio quomodo, cum eum nemo anteiret opinione ingenii, prudentiae atque innocentiae, experiri debuit adversam fortunam: motus enim aula fuit. Insuetus male audiendi haud patienter tulit a nonnullis de se male existimari, quorum paullo ante in caelum fuerat elatus laudibus; verum ut resedit ille primus motus animi, cum nullius culpae sibi conscius esset, facile remedia dolori invenit. Ad id monuit eum Dux, ut ex sua benevolentia omnia expectaret, & ex praeteritis suis meritis reliqua speraret. Ex quo intelligi potuit temporibus illum obedire coactum fuisse, quod haud decere arbitrabatur uti moderatore conscientiae suae homine Jesuita, postquam tota Hispania Loyolitae expulsi

fuerant. Hoc casu tantum abfuit ut Jacobus animum desponderet, ut incensus potius atque incitatus magnas accessiones fecerit in suis studiis colendis; & in salute hominum procuranda. Solitus, quod dabatur otii, in philosophia praesertim consumere, caussam conquisivit, quare humana corpora a calore & frigore non ita varie afficiantur, ut est varietas graduum, qui a thermometro signantur. Quatenus huic instrumento tribuendum sit diligentissime perpendit, quod cum humido aeri, per quem frigoris sensus augetur, minime det locum, fieri sane potest, ut hic illi minime respondeat. Non minus vere explicat quibus ex caussis augeatur minuaturque calor, a quo afficimur, quae dum praestat, ut judicium est Landii, multa a se se observata proferet, physicorum diligenti consideratione & plausu dignissima. Cum sibi aliquod, de quo diceret, sumebat, omni ex parte contemplabatur, nihil ut reliquisse videretur, & quocumque ingrederetur, eodem semper erat instructu, ornatuque comitata oratio. Fecit autem amor Principis, cui quidquid

erat, referebat acceptum, ut, cum consuleretur, num ejus filio Ferdinando, in quo solo spes regni posita erat, variolae inserendae essent (& variolarum quidem, ut loquuntur, inoculatio, auctore maxime Condaminio, tum coeperat apud Italos in more esse) ipse investigaret & perscrutaretur omnia, quae creare periculum poterant, quaeque ad calculum minime revocasse videbantur hujus consilii specie utilissimi (*) auctores. Quae rem consequi solerent (non enim exploratum est, uno vitato periculo, nullum aliud fore) quid caeli, quid victus natura,

---

(*) La sperienza e l'osservazione prova, *inquit ille*, che il vajolo naturale involi al mondo $\frac{1}{7}$ del genere umano, laddove l' inoculazione s' appaga di $\frac{1}{100}$ onde il pericolo di morire per il vajolo naturale è al pericolo di morire per l' inoculazione come $\frac{1}{7}$ ad $\frac{1}{300}$, ossia come 300 a 7. o come 43. ad 1.

quid corporis habitus, quid vitae consuetudo efficere possint in homine, qui vel naturaliter, vel artificiosè hoc morbo afficitur, quanti intersit in discrimen vitae minimè vocare Principem, cui populorum felicitas commendata est, sic exposuit, ut prosperi successus probabilitas si non tollatur, non parum sane attenuari videatur. Quod hac de re Physiocritici Senenses Academici plurima doctorum virorum scripta collegerant, atque edenda susceperant, quia e re publica putabant esse invitare homines ad novum hoc inventum amplectendum, rem dignam loco, quem apud eos tenebat Bellogradus (erat enim ex illorum numero) sane praestitisset, si ipsis hanc suam dissertationem vulgandam concessisset, ex qua omnes discere possent, quantum aliorum sententiis esset tribuendum, quibusque animadversionibus illae essent corrigendae. Laxamenti aliquid ut continuis occupationibus concederet, Ravennam venit, quae urbs, quod abundat monumentis antiquitatis, omnia quidem eruditis oculis contemplatus est, sed eos praesertim conjecit in anaglypha

bina pario e marmore satis affabre sculpta; Neptunum sub marini monstri forma in throno sedentem cum Geniis hinc atque hinc symbola illius numinis propria ferentibus exprimentia, ex iisque (nondum enim illustratorem invenerant) munusculum concinnavit ipsius urbis litterariae Academiae, quod inscripsit, *il Trono di Nettuno*. Multis inscriptionibus compertum habemus apud Ravennates templum fuisse Neptuni, sane sanctum & religiosum, quod ad eos undique naves adveniebant, ex quo conjici potest effecta anaglypha illa fuisse ad hujus templi ornamentum, a quo ad S. Vitalis fanum, tanta in inscitia hujusmodi monumentorum veteres Christiani versabantur, translata fuerunt. Omnia in iis expressa, duce praesertim Homero, erudite declarat Bellogradus; de thronis, deque eorum institutione copiose agit; in explicatione vero fabularum, quae ad Saturnios pertinent, quanta obscuritate involutae, quantisque errorum monstris commaculatae sint ostendit. Ravenna digressus ad Utinenses suos migravit, cumque paullulum de via decli-

nasset caussa revisendi Venetiis veteres amicos, comparandique sibi physica quaedam instrumenta, operam praesertim adhibuit, ut a vitrariis cochlea Archimedea fabricaretur, qua de re non satis a mathematicis & physicis illustrata scribere instituerat, haud desperans industriam & diligentiam posse spectari suam. Et re quidem vera oculis subjecit tum adscensum in ea aquae, tum alia plura phaenomena, atque ex his nonnulla a se primum casu observata, quorum omnium, analysi & experientia duce, sic rationem reddit, ut de iis nec copiosius, nec verius dici posse videatur. Quare de hac dissertatione Parmae edita merito judicavit physicus clarissimus Segaudius, nihil in illa memoratu dignum fuisse praetermissum, ut qui de cochleae Archimedeae proprietatibus doceri cupiunt, ipsam si consulant, nihil amplius requirant. Studebant nonnulli ex eo audire, quae maxime probaret de aquarum motu, de fluminum cursu, deque omni architectura hydraulica, cujus scientiae, leviter licet, adumbrata vestigia in ipso Archimede cernere possumus.
Digitized by Google

Post id ignorata mansit ad Galilei usque tempora, cujus praeceptis informati Benedictus Castellius, & Evangelista Torricellius magnum illi attulerunt incrementum, ad calculum revocata aquae velocitate. Ab horum discipulis Geminianus Montanarius eo tempore, quo studiorum caussa in Etruria fuit, didicit interesse Reipublicae & communis salutis rem feliciter, adhibita experientia & geometria, tentatam non dimittere, ejusque monitis & exemplo incensus Dominicus Guglielminius plurima contulit ad ipsius scientiae incrementum in eo, quod exaravit, opere, de dirigendis fluminibus, aliisque scriptis, quae civium suorum Bononiensium commodis consecravit, ut ipsius scientiae jecisse fundamenta judicetur. Non semper tamen acu rem tetigit, quaeque attulit Eustachius Manfredius ad ejus dicta vel illustranda, vel confirmanda, vel emendanda, sunt quidem sapientissimi hominis. Alii multi in aquarum scientia, quae tota propria Italorum esse videtur, provehenda utilem sane operam posuerunt, extiteruntque viri docti, qui quae praestare scripta judi-

carunt, undique collecta conjunctim ediderunt. Factum id Florentiae primum est an. MDCCXXIII. & in eo fortasse peccarunt electores, quod optima & mediocria habuere promiscua. Itaque Bellogradus magnum se harum rerum studiosis beneficium allaturum arbitratus est, si, ablegatis parvi momenti scriptis, retentis optimis, novisque collectis, tale confecisset opus, ut de rebus ab ipso probatis judiciisque pronunciatis nemo sanus posset dubitationem movere. Rem strenue aggressus, septem omnino voluminibus consumavit. Praeter praefationem, qua sui consilii rationem reddit, retulit in Volumen VII. Dissertationem, qua perpendit originem, cursum, alveos, varietatem torrentium, quid augeat velocitatem aquae, quae per eos fluit, quamque repetit ab alvei declivitate, & ipsius aquae quantitate, contra ac senserant Gravesandius, Guglielminius & Belidorius, ac postremo recenset damna, quae ab iis importata fuerunt florentissimis Provinciis, quaeque his remedia afferri possint. Sub idem fere tempus, quo haec edidit, turbulentissimae illae molestia-

rum tempestates, quae miserandum in modum perculerunt Hispanos atque Lusitanos Jesuitas, ad eos quoque pervenere, qui erant in ditione Parmensium Ducis, a qua exulare jussi fuerunt. Tum quidem Bellogradus omni re spoliatus, ac reminiscens praeteriti temporis fortunam, locum habuit probandae virtutis suae. Bononiae cum consedisset, praefectus fuit S. Luciae, ut vocabant, collegio, quo dum munere sancte & prudenter fungebatur, nova perpeti debuit infortunia. Edictum enim ei omnibusque suis fuit, ut ab urbe discederent, quam ut removeret injuriam, omnia expertus est. Quae scripto mandavit, quaeque dixit, ut si minus aequitati, saltem misericordiae locus aliquis relinqueretur, nimia arrogantia atque pertinacia fecisse judicatus est, eaque propter carcere, neque multo post exilio damnatus fuit. Nemo humanitatis expers adeo fuit, qui ejus casum non doluerit, & violentos impetus Malvetii Cardinalis, qui tum sacris praeerat, non reprehenderit. Benignitate autem factum est Atestinorum Principum, eorumque, quorum Mutinae cogni-

gni-

gnita erat virtus & nobilitas, ut in hac urbe honoratissime vixerit, dum spes aliqua superfuit Societatem Jesu in vita mansuram. Hac vero extincta, litteris Pontificiis datis mense sextili an. MDCCLXXIII. etsi vehementissime doluerit Jacobus (nil enim minus volebat quam se esse charissimae matris funerum spectatorem) linguam tamen ab omni objurgatione & querela continuit, auresque praebuit fratri fratrisque filiis, a quibus invitabatur, ut in sinu patriae & familiae, quae benevolentiores ei ob adversus casus erant factae, quod dabatur vitae transigeret. Non satis vero mirari possumus, quod inter tot procellas nunquam revocaverit animum ab absolvendis, quae inchoaverat, operibus, doctis sane & laboriosis. Erat Bononiae quando in lucem emisit Dissertationem de idearum rapiditate, quae quantum augeri & perfici possit, in quo consistat, quantum poesim aliasque facultates juvet, accurate persecutus est. Alia Dissertatione investigat quae sint acuta ingenia, quae rudia, quae actuosa & velocia, quae desidiosa & tarda, quam li-

Digitized by Google

beralis natura sit in creandis idoneis ad consulendum non solum necessitati commoditatique hominum, sed etiam jucunditati & scientiae, quamvis vel negligentia, vel inconstantia, vel caeli vitio, vel imperantium culpa, aliisque de caussis, quas enumerat, saepe eveniat, ut facultas usui minime respondeat. Explicat quoque quare facilius ingenia ad artes, quam ad scientias provehendas se conferant, quantumque eorum varietas conducat ad civilem societatem conglutinandam atque retinendam. Homo, cui vel seni opera vita fuit, ut ad suos rediit, multis prodesse studuit, qua consiliis, qua institutionibus, quae tum ad mores, tum ad doctrinam pertinebant, nec unquam a lectione atque scriptione cessavit. Sive vero de caeli natura loqueretur, sive de terrae, sive de divina vi, sive de humana, sive de reconditioribus disciplinis, sive de artibus illis, quibus libera quaedam animi oblectatio quaeritur, sive ut doceret, sive ut impelleret, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, omnes judicabant

Digitized by Google

studio, ingenio atque doctrina ipsum praestare ceteris, nec facile quidquam repertum iri, quod illi esset incognitum. Ex omnibus vero facultatibus, quae Dei munere hominibus sunt datae, quod nullam nobiliorem aptioremque ad intelligentiae vim prodendam geometria esse putabat, coepit inquirere, quam haec late pateat, quibus terminis circumscripta sit in creatis mentibus, & quanta sit ejus infinitas in rerum omnium Auctore. Qui tantas, & tam varias, tamque miras res geometrice creavit atque invenit, apertissime quidem ostendit omnia theoremata geometrica ejus intelligenti menti esse subjecta, ex quo concludi necesse est, ipsum existere, aeternum esse, omnia in potestate habere atque gubernare, libere agere, beneficum & sapientem esse, ab eoque manare quidquid interlucet luminis in mentibus humanis. Tot ex uno capite rerum consequentias ita colligavit, ut quam laudavit facultatem prorsus in ejus potestate fuisse probaverit, qua se non utilius posse uti putavit, quam si per eam, & ex ea firmissima argumenta accersivisset

ad divinam in mundi fabrica atque gubernatione sapientiam agnoscendam, & impia atheorum molimina evertenda. His in lucem prolatis, extitit petulans homo, qui pone scenam acriter illa reprehenderit, quam injuriam etsi suaserint multi inultam impunitamque minime demittendam, occultavit tamen Jacobus quae pro sui defensione sine mora scripto mandavit, quod sine famae detrimento se facere posse judicavit. Neque hoc illi quisquam tribuit superbiae; nihil enim unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore suo exiit, sed quia tranquillitatis erat amans, maluit contumeliam perferre, quam cum spe certa victoriae dissidium alere, remque cum ignoto homine habere. Si quid verebatur, hoc erat unum, ne quae obscuraverat adversarius, quaeque prave detorserat, damno essent geometricarum rerum imperitis, qua de re cum loqueretur cum Alphonso fratris filii filio, qui jam tum erat adolescentulus his studiis mirifice deditus, inquit, haec si ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus, & nos industriae fructus

ex tua scientia capiemus, & tute nostram diligentiam laudabis, tuaque perceptione laetabere. Quia vero innumerabiles viae sunt, quibus ad Dei agnitionem ducimur, vehementer gaudebat Jacobus, si dum ab aliis minime tritas investigabat, novi aliquid in medium protulisset. Hujus generis est Dissertatio, qua probat unicam speciem esse entium, quae libera & ratione praedita sint, nullam autem, aut innumeras dispari natura cum perturbatione vitae, & magna confusione futuras, si casus, non autem Deus rerum auctor fuisset. Docte, erudite atque elegantissime, quod in omnibus disputationibus facere consueverat, hanc explicavit sententiam, ut non minus prudentia rerum magnarum, quam dicendi arte, & jucunda quadam varietate commendari voluisse videatur. Neque multo post, cum ab eo quaesitum esset, qua ratione sol, quam continuo amittit, lucem recuperaret, veterem renovavit sententiam, quae oceano praesertim tribuit hanc jacturam repensandi facultatem; cumque meminisset quae disputata a Newtono & Eule-

ro fuerant de lucis principiis, quanquam horum opiniones inter se prorsus dissideant, utrique tamen convenire putavit, ut reparator quis inveniatur. Acer investigator & diligens earum rerum, quae a natura sunt involutae, antequam haec vulgaret, dum rusticabatur cum suis in amoenissimo Forojuliensis agri loco, & contemplabatur virentes campos & sylvas, coepit secum cogitare qui fiat, ut in viridi colore oculi quodammodo conquiescant, atque idcirco quam provide natura hoc plantas & arbores vestiverit, qui cum hujusmodi sit, ut ex caeruleo & croceo componatur, illi facile terram permeanti humiferi succi, huic ligneae materiae conficiendae partes tribuit. Scripto hoc, quod fortasse miraberis, praesertim gloriari videbatur, cui typis vulgato multa addidit, non desperans inventum iri, qui de illo iterum edendo cogitaret. Longe plurimum ad famam illi comparandam valuisse arbitror opus, quod exaravit, de Aegyptiana architectura, eruditione & novitate sane commendatissimum. Dum examinat quantum in hac arte praestiterint,

Aegyptii, multarum quidem facultatum inventores, sive soliditatem, sive magnificentiam aedificiorum spectes, quam periti fuerint earum rationum, quas Vitruvius architectonicas vocat, quarumque compositio etiam harmonias efficit plures, quam affabre sculpserint ipsorum aedificiorum ornamenta, statuas scilicet, anaglypta, epistylia, & alia hujusmodi plura, quid de iis judicandum, si cum Graecis & Romanis comparentur, rerum multarum obscuras & necessarias intelligentias enodasse, & fundamenta quaedam scientiae jecisse videtur. Factum est liberalitate Ferdinandi Parmensium Ducis, ut hoc opus magnificentissime imprimeretur, quod non tam tribues ipsius operis praestantiae, quam singulari bonitati, qua nullo non tempore aequissimus ille ingeniorum aestimator Bellogradum prosecutus est. Hujus illustre etiam argumentum dedit, cum honorificentissimis litteris ipsum, & qui ejusdem familiae erant, Comitum titulo decorasset, quem honorem decreto quoque suo Venetus Senatus comprobavit. Haec illi grata fuerunt, gratiora

etiam amplissima, quae illius doctrinae dedit testimonia non multis abhinc annis instituta Scientiarum & Artium Patavina Academia, in quam, & in sexdecimvirorum numerum cooptatus, dono scriptorum suorum videbatur posse illius decus augere. Verum ex hoc tempore id sibi proposuerat, sibi ut unice viveret (qua de caussa locum etiam in Lyceo Mutinensi recusavit) utque nil litteris mandaret, nisi quod ad alendam in Deum pietatem, quae cum aetate in eo creverat; conducere posset. Quos locos de vinculis Sanctorum Joannis Baptistae, Petri & Paulli multa meditatione & commentatione paratos habuit, tum cum simili poena affectus fuit, eosdem exornandos suscepit; neque est credibile quanta copia varietateque quaestionum, disquisitionumque, quorum aliae ad eruditionem, aliae ad beate vivendum vel in summa adversitate rerum referuntur, argumentum specie sterile foecundaverit. Postremo scribere instituit de aeternitate Dei, & eorum, qui cum eo saempiterno aevo fruuntur, beatitudine, ex metaphysicorum & theologorum reconditio-

ribus fontibus omne id hauriens, ex quo liquet temporum, voluntatum, actionumque, vicissitudines in Deo locum habere non posse, ipsum omnia perspicientem, aeternum, beatum sic impertire iis, quos sui conspectu dignos judicavit, illud, per quod beatus est, ut nemo requirat, quo sit beatior, nec vereatur, ne ullam mutationem, qua fruitur, felicitas sit habitura. Prorsus enim abest ab iis illa vis, quae continuos motus, vicissitudinesque in rebus humanis parit, effecitque, ut quae ex nihilo ortum habuere, in nihilum vergant, & occidant. Hactenus retulimus majorum vigiliarum opera ab eo in lucem prolata, si illud, de quo postremo loco diximus, excipias, cui extremam manum minime potuit imponere. Reliquit & alia, atque in his carmina plura tum Latina, tum Italica (nam poesis ab illo vel a prima juventa culta suppeditabat ei quibus senectutem suam oblectaret, & animum a gravioribus occupationibus relaxaret) orationes quinque panegyricas, Alphonsi fratris, viri sane frugi, & multis litteris eruditissimi, elogium, sermones ad sa-

cras virgines esurialibus feriis habitos, quae omnia declarant in ratione dicendi, quae sunt prima, excogitare, ornare, disponere, aures suavitate perfundere, quem res postulat in animis hominum motum excitare, praecepta & admonita dare saluberrima, sic eum tenuisse, ut si ad summos minime pervenerit, in secundis sane consistat. Idem cum orationes dicebat instructus voce, & actione & lepore quodam erat; nullius ut ornamenti expers esse videretur. Dum perscrutabatur vero omnia, quae pertinent ad mores hominum, quae versantur in consuetudine vitae, in hac societate civili, quae prudenter intexebat suis in sermonibus, hisce ipsis de rebus ita loquebatur, nihil ut laxari voluisset ex iis officiis, quibus vel natura, vel conditione, vel christianis institutionibus & praeceptis adstricti sumus. Haec severitas magis etiam in omnibus ejus actionibus & dictis apparebat, in quibus nihil invenisses, quod reprehenderes, multa vero, quae non solum laudares, sed etiam admirareris. Quod illa se amisisse momenta temporis putabat, quae

cum sui aliorumque utilitate haud fuissent conjuncta, nunquam a se obtinere potuit, ut se facilem praeberet in admittendis iis, qui importune adveniebant, utque aures daret iis, qui somnia narrant, & nugas loquuntur. Nulli tamen molesta erat ejus gravitas, quodque natura ei dederat igniculos quosdam, quibus facile commovebatur ad iram, etiam atque etiam videbat, ne quid diceret quod sanctum & moderatum non esset, & si quam injuriam acceperat vel ab iis, quibus in secunda fortuna, quod saepe evenit, benefecerat, malebat oblivione delere, quam ulcisci. Ipse vero percepta beneficia immortali retinebat memoria, cumque recordabatur quot a Parmensibus suis declarationes voluntatis habuisset totis illis triginta & amplius annis, quibus apud illos fuit, lacrymas vix continere poterat. In conciliandis sibi doctorum praesertim virorum amicitiis, hisque retinendis felicitate & constantia fuit singulari, si quos vero invenisset, quorum mores a suis, castissimis videlicet, atque innocentissimis minime abhorruissent, omnia

cum iis habere velle communia videbatur. Prorsus talis erat vir, ut non facile judicasses virtute ne, an doctrina magis esset spectatus domi forisque. Quare qui satisfacere immortalitati laudum illius mirabiliter concupivit Carolus Bellogradus, edito Italico commentario de vita & scriptis ejusdem, minime veritus est, ne quid assentatorie a se dictum judicaretur, quanquam esset in eadem familia natus, & large effuseque omnia persecutus fuerit, quae ad illum ornandum pertinere est arbitratus. Decessit VII. Kal. Apriles an. MDCCLXXXIX. cum prospera usus valetudine complesset annos quatuor supra octoginta, menses quatuor, dies autem decem, quamque civitati, suisque charus fuerit, moerore funeris judicatum est.

Digitized by Google

OPERA EDITA

Gratulatio Emo, ac Remo S. R. E Cardinali Jo. Francisco Barbadico Patavinam Sedem ineunti. Patav. Typ Conzatti 1723.

Ad Disciplinam Mechanicam, Nauticam, & Geographicam Acroasis Critica & Historica. Parmae Typ. Gozzi 1741.

Ad Disciplinam Hydrostaticam Acroasis Historica & Critica. Parmae Ap. Rosati 1742.

De Altitudine Atmosphaerae aestimanda Critica Disquisitio. Parmae Typ. Rosati 1743.

De Phialis vitreis ex minimi silicis casu dissilientibus Acroasis. Patav. Typ. Semin. 1743.

De Gravitatis legibus Acroasis Physico-Mathematica. Parmae Rosati, 1744.

De Vita B. Torelli Puppiensis commentarius. Patav. Typ. Semin. 1745.

De Corporibus Elasticis Disquisit. Physico-Mathemat. Typ. Monti Parmae 1747.

Observatio Solis defectus & Lunae, Parmae Typ. Rosati 1748.

Epistolae duae, altera de crassitie laterum, & altera de Inscriptione Militari Basis Ariminensis. *Extant in opere, quod inscribitur: Symbolae Litterariae ab Antonio Francisco Gorio vulgatae Florentiae* 1748. *Vol. IV.*

Epiſtola de Inſcriptione Militari &c. *edita quoque fuit an.* 1749. Mutinae Typ. Soliani.

I fenomeni Elettrici con i corollarj da lor dedotti. Parma preſſo Roſati 1749.

Ad Marchionem Scipionem Maphejum Epiſtolae IV. Venet. Typ. Paſquali 1749.

Epiſtola V. ad Antonium Franciſcum Gorium cum ceteris ad Maffejum. *Extant* in Vol. I. Symbolarum Litterariarum. Flor. 1751.

Della Rifleſſione de' Corpi dall' Acqua, e della diminuzione della mole de' ſaſſi ne' torrenti e ne' fiumi: Diſſertazione. Parma preſſo Monti 1753.

Obſervatio defectus Lunae habita die 30. Julii in novo Obſervatorio 1757.

Dell' azione del caſo nelle invenzioni, e dell' influſſo degli Aſtri ne' corpi terreſtri. Diſſertazioni due. Padova per Manfrè 1757.

Obſervatio defectus Lunae. Parmae 1761.

De utriuſque Analyſeos uſu in re Phyſica, Volumina II. Parmae Typ. Monti 1761.

Delle ſenſazioni del calore, e del freddo, Diſſertazione; Parma per Carmignani 1764.

Il Trono di Nettuno illuſtrato. Ceſena per Biaſini 1766.

Theoria Cochleae Archimedis. Parmae Typ. Carmignani 1767.

Digitized by Google

Dissertazione sopra i Torrenti inserita nel Vol. VII. della nuova Raccolta di Autori, che trattano del Moto dell' acque, composta dal medesimo Autore di quest' Opere. Parma per il Carmignani 1768.

La stessa Dissertazione inserita nel Vol. VII. della Raccolta di Firenze. Dalla stampa R. 1770.

Della Rapidità delle Idee Dissertazione. Modena per Montanari 1770.

Della proporzione tra i talenti dell' Uomo, e i loro usi, Dissertazione. Padova presso Conzatti 1773.

De Telluris Viriditate Dissertatio. Utini Typ. Gallici 1777.

Della Esistenza di Dio da' Teoremi Geometrici dimostrata: Dissertazione. Udine per Gallici 1777.

Dall' Esistenza d' una sola specie d' esseri ragionevoli e liberi si arguisce l' Esistenza di Dio: Dissertazione. Udine appresso Gallici 1782.

Del Sole bisognevole d' alimento, e dell' Oceano abile a procacciarglielo. Dissertazione Fisico-Matematica. Ferrara presso Barbieri 1783.

Dell' Architettura Egiziana, Dissertazione. Parma dalla Stamp. Reale 1786.

Digitized by Google

OPERA INEDITA

Dissertazione sul Terremoto accaduto in Parma nel 1738. coll' Aggiunta alla medesima.

Osservazioni sull' Aurora Boreale veduta in Parma nell' anno stesso 1738.

Dissertazione sull' innesto del vajuolo: Se debba praticarsi ad un Figlio unico d' un Sovrano.

Delle tre Prigionie, di S. Giovambatista in Tiberiade, di S. Pietro in Gerusalemme, e di S. Paolo in Filippi di Macedonia.

Della eternità di Dio e de' Beati in Cielo.

Elogio del Co. Alfonso Belgrado.

Panegirici, Orazioni Sacre, varj Sermoni, e Conferenze.

Poesie Latine ed Italiane.

Vita del P. Fulcherio di Spilimbergo Gesuita e Martire tradotta dalla lingua Spagnuola.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

ORLANDO MALEVOLTIO BENINIO SUO

SENATORI AMPLISSIMO

S. P. D.

Qui clarorum hominum scientiam scriptis editis metiuntur, sane mirabuntur me operam posuisse in declarandis vitis Bartholomaei Bianuccii & Andreae Ostilii, qui nullam fere litteram reliquerunt. Verum si per se doctrina spectanda sit, eos historiae monumentis dignissimos arbitrabimur, quod nulla res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova & recondita fuerit, de qua, non audacia & impudentia, sed ingenio &

Digitized by Google

doctrina multis vigiliis sibi comparata freti, se non profiterentur esse dicturos. Adde, quemadmodum tu quidem optime novisti, qui illis haesisti in medullis, quod tanta erat illorum virtus vel ab ineunte aetate culta, tantumque studium omnes hujus amore inflammandi, ut si multos ipsorum similes haberemus, nequaquam sperarent mali se posse in ruinis reipublicae exultare, postquam illi impudentissimis & dictis & factis gravissima vulnera imposuerunt. Verum si istorum haec tanta injuria impunita discesserit, desinant ii saltem philosophiae nomine & integumento abuti, & quae in se residere sentiunt improbitatis & furentis petulantiae semina, suis unice cupiditatibus tribuant, minime vero disciplinae laudandarum artium omnium procreatrici, & omnium bene factorum & bene dictorum matri sapientissimae. Jure & merito in illos quadrare dixeris quae salse & lepide Cynicus quidam apud Lucianum objecit homini, qui pallio impurissimi ac levissimi animi sordes obtegere se posse sperabat. Appellat enim eum praestigiarum & nugarum plenum, cumque ille

jussus fuisset a Mercurio abjicere pallium, hic exclamavit: quantam ille arrogantiam, quantam inscitiam, & quantum contentionis & inanis gloriae prae se fert . . . . . aurum etiam hoc, & voluptatem, & impudentiam, iracundiam, & delicias & mollitiem secum habet, quae me non latent, etiam si studiose celet, *post quae ille oculatus vitiorum indigator subjicit :* abjice mendacia etiam, & superbiam, & opinionem illam, qua existimas te omnibus reliquis praestantiorem. *Porro ab his, qui se magistros privatae & civilis vitae esse jactant, quid expectare possumus, ut quietiores animo, consultiores judicio atque scientia, moribus ornatiores, sapientia instructiores simus? Ita fusae sunt eorum & discrepantes, ac fere ad libidinem, novitatis studio, de finibus bonorum, de divinis & humanis legibus effutitae sententiae, ut nemo sit, neque ita orbatus animo, neque oculis usque adeo captus, atque connivens, ut non videat, nihil aliud ipsos velle, nisi ut plures insaniae comites habeant, nihilque tam vereri, ne ea maneat opinio atque exi-*

Digitized by Google

stimatio, quae virtute paritur, & ne ad eos, qui hujus sunt compotes, in administratione rei publicae auctoritas perveniat. Haec ita deplorabant summi ii viri, de quibus scribendum suscepi, ut quemvis commovere potuissent, omnesque intelligerent, quid ab iis exigerent, qui se vere philosophos dici volunt. Quorum in sermonibus quod tu conquiescere solebas, solitus dicere magna sapientium civium bonorumque penuria te par amicorum invenisse, in quibus antiquae religionis exemplar facile omnes intueri potuissent, pro jure nostrae veteris amicitiae a me saepe postulasti, ut eorum memoria, quam vivam nunc retinemus, immortalitati per me consecraretur. Sane ingrate facerem, si tibi, quem unice diligo, cuique me charissimum esse sentio, saepius idem roganti denegarem, quare, quod cupis, aggrediar, non perficiendi spe (non enim ego is sum, qui scriptis meis immortalitatem polliceri audeam) sed tibi gratificandi voluntate. Malo enim, cum studio sim obsecutus tuo, desiderari ab intelligentibus viris prudentiam meam, quam, si id non fecerim, a te benevolentiam. Vale.

Pisis Kal. Decembris MDCCXCVIII.

Digitized by Google

BARTHOLOMAEUS BIANUCCIUS

Quanquam Galilei eorumque discipulorum opera novum philosophandi genus procreatum fuerit, quo non opinione, sed veritate rerum natura quaereretur, fuere tamen in Academia Pisana plurimi philosophiae Magistri, qui proxime ad disciplinam illam veterem, non hanc, quae nunc increbuit, viderentur accedere. Haec sive aetatis, sive institutorum, sive hominum vitia fuerint, magnopere quidem improbanda arbitror, & gratia habenda est iis, qui omne suum studium ad illa emendanda contulerunt. Hujus boni princeps fuisse mihi videtur Bartholomaeus Bianuccius, natus

Digitized by Google

XVI. Kal. Apriles an. MDCCXVIII. prope Montem Caroli, quod est Etruriae oppidum in Lucensium finibus. Pater illi fuit Lambertus, mater Maria Angela Cinellia, patruus vero Scipio, qui Florentinam paroeciam S. Apollinaris regebat, a quo Florentiam ductus fuit, traditusque in disciplinam Cianio presbytero. Didicit & gramaticam a religiosis hominibus Scholarum, ut loquuntur, Piarum, sed ei quasi ludus atque officina scribendi & intelligendi fuit Seminarium Florentinum, in quod venit, exeunte an. MDCCXXVIII. permansitque usque ad annum MDCCXLVI. Nam postquam auditor & discipulus fuerat Pagginii in humanioribus litteris, Zelii in philosophia, Barsottii in theologia, magister factus est, rhetoricae primum, mox philosophiae. Illam per biennium, hanc per triennium docuit, quo tempore cum frequentaret Academiam Apathistarum, in qua plurimum exercebatur extemporalis dictio, saepe patefecit quam esset copiosus ad dicendum, & quam multa & varia in eo esset rerum notitia. Auxere famam hominis, in quo sane mirabile erat

Digitized by Google

ingenium & singularis memoria, disputationes philosophicae, quae, ipso docente, habebantur in Seminario Florentino. Continebant enim praecipua recentiorum physicorum & mathematicorum inventa, ad quae cognoscenda ipse sibi dux fuit Bianuccius. His rebus motus Richecourtius Comes, qui Francisci II. nomine Etruriam gubernabat, e re Pisanae Academiae esse putavit, si ipsi addiceretur Logices Magister, quod accidit an. MDCCXLVI. Quinquennio post jussus est physicam tradere, & ei profecto imprimis debemus, quod Newtonianorum physica, & quae experientia, geometria, & ratio docuit, apud nos maxime sint in honore, & ab omnibus fere discantur. Difficillima illa societas gravitatis cum humanitate sic illum commendabat, ut non modo discipuli, sed etiam collegae illum mirifice & amarent & colerent. Nemo etiam illo fuit & modestior, & probior, & integrior, atque in exequendis tum magistri, tum presbyteri, tum educatoris (praeerat enim vel ab anno MDCCLVII. alumnis collegii, quod Riccium ab ejus conditore appellatur) muneribus

diligentior. Nihil legit unquam, quod non in ejus memoria penitus insederit, & de latinis maxime poetis multa saepe & opportune recitabat. Privatim historiam docuit Equites Stephanianos, qui sunt Pisis litterarum caussa, neque factorum modo, sed & consiliorum erat litterate peritus. Vel de re militari, quod sane miraberis, tam belle loquebatur, ut si illum audivisset Hannibal, non irrisisset sicuti Phormionem Atheniensem. Qui multa conficere potuisset scripta, nulla ferme reliquit. Haud pauca tamen suppeditavit Lamio, Adamio & nobis ad exornandas ephemerides Litteratorum Italiae, & quia erat disputator subtilis, & interdum etiam vehemens, de iis, quae in quaestione versabantur, libenter disserebat. Omnino videbatur esse propria illius ars, quae pertinet ad invenienda argumenta, ad ordinanda, dilatanda, atque, cum opus esset, premenda, ad persuadendum verum, & falsum convincendum. Adhibebat etiam leporem & festivitatem orationis, quod praesertim cognosces ex libello, quem pro nostra defensione exa-

ravit, cuique inscriptionem fecit: *il Passatempo Autunnale*. Sane nihil illo elegantius, eruditius & festivius, & ad continendam audaciam eorum, qui fallacissimo sensu judicant ea, quae ratione & animo videre debebant, magis accommodatum. Quia peritissimus habebatur, & erat rerum divinarum, interfuit Magni Ducis Leopoldi I. nomine Etruscorum Pontificum concilio, quod habitum est Florentiae vere anno MDCCLXXXVII. Sed quamvis bonorum partem sequeretur, in eo tamen ejusdem eloquentia, ut alias saepe, minime dominata est. Tum enim erat surdaster & senex. Post haec cum levationem aliquam laborum quaereret, quos sustinebat in magistri munere exercendo, per me obtinuit vacationem publicae scholae, ea tamen conditione, ut domi bis terve in hebdomada Newtoni *Principia* physicae studiosis explicaret. Factus ad id esse videbatur, tanta erat in eo vis doctrinae illarum rerum, quae in hoc opere, quo nullum illustrius extat ad omnes physicas facultates provehendas, continentur. Vixit carus omnibus;

omniumque lacrymae ejus mortem decorarunt, quam ex pleuritide obivit Pisis an. MDCCXCI. postrid. id. Januarii. Nec doloris morsus, nec mortis adspectus continuerunt illum, quin plura jocose & vere diceret de humanarum rerum levitate futilitateque, quas qui melioris spe vitae contemnere didicit, is vere sapiens appellari posse videtur.

Digitized by Google

ANDREAS OSTILIUS

Nunquam profecto physices cathedrae apud nos utilius consultum fuit, quam docentibus Bartholomaeo Bianuccio, & Andrea Ostilio, qui ex illius schola prodierat. Natus hic est Florentiae XIII. Kal. Junias an. MDCCXXXVI. qua in urbe illius pater Joannes Maria muneris cujusdam honestissimi caussa (*) domicilium posuerat, uxo-

(*) *Appellabatur* Cancelliere delle Farine. *Huic patria fuit Galeata, quod est Aemiliae oppidum, & quia magna erat opinio illius prudentiae & fidelitatis, de gravissimis rebus extraordinaria mandata habuit ab iis, qui res Etruriae administrabant.*

Digitized by Google

remque duxerat Isabellam *del Badia*, ex qua tres liberos masculini generis procreavit. Quod in Andrea magna vel a prima aetate apparuerunt ingenii signa, postquam in patria apud Jesuitas humanioribus litteris imbutus est, ipsum instituendum dedit Pisanis magistris in disciplina juris, quae sibi quaestuosa fuerat. Sed huic non sic dedit operam Andreas, quin mathesi, philosophiae, Graecis, Latinisque litteris plurimum quoque temporis impertiverit, frequentavitque maxime & Bianuccium, & Thomam Perellium, quorum ex ore pendere videbatur. Doctrinae insignibus acceptis, cum coepisset Florentiae in forensibus certaminibus versari, horum sic eum taeduit, ut nil magis concupiverit, quam sibi dari facultatem tabernaculum vitae suae in philosophia collocandi, quod commendationibus obtinuit Antonii Nicolinii, cujus ingenii ac judicii magna erat opinio, quique cum forte audivisset ex tempore disserentem Ostilium in Apathistarum Academia de quaestione nescio qua philosophica, elegantiam doctrinae cum incorrupta quadam Etrusci sermo-

Digitized by Google

nis integritate conjunctam adeo admiratus est, ut affirmaverit iis, qui pro Francisco Lotharingio Caesare res Etruriae administrabant, magnum accessurum ornamentum Academiae Pisanae, si eumdem in suis numerasset. Venit itaque ad eam an. MDCCLXIV. logices magister, neque multo post physices cathedram conscendit. Ars, quae dat regulam, qua vera & falsa judicentur, & quae, quibus propositis, essent, & quae non essent consequentia, quam artem omnium fortasse maximam dixeris, quod lucem afferat ad omnes disciplinas non solum, sed etiam ad omnes vitae actiones recte gubernandas, adeo erat in potestate Ostilii, ut quod ab ipso probaretur, ab omnibus intelligentibus probari necesse esset. Quare qui eum audierunt praecepta dialecticae tradentem, ipsam quasi speciem & formam veri, recti atque optimi videre potuerunt. Postquam autem diu & multum elaboraverat in noscendis iis, quae illustriores naturae investigatores scriptis mandaverant, quaeque ratio & experientia comprobaverat, haec sic in ordinem redigere

sibi proposuit. ut cum perite & scienter, tum breviter & presse non solum quid melius tentatum inventumque fuisset discipulis suis ostenderet, sed etiam quae essent inter doctos & intelligentes dissensiones, quid ipse probaret, quidque quaerendum superesset. Quoties ei utendum fuit geometriae subsidio, quod praesertim accidit in mechanicarum, opticarum, & hydraulicarum rerum tractatione, synteticam analyticae praetulit, ne tardaret studia multorum, qui minus instructi difficilioris artis disciplina experiri id nollent, quod se assequi posse diffiderent. Mira vero erat ejus facilitas in explicandis iis, quae occultiora & implicatoria videbantur, & quidquid ab ipso audivisses, vel e superiori loco doceret, vel scriberet, vel familiari sermone uteretur, nec paucioribus, nec intellectu facilioribus, nec elegantioribus verbis exponi potuisse judicasses. Quod saepe homines in errorem ducantur vel studio partium, vel praejudicatis opinionibus, vel ambitione quadam, quod nimium sibi tribuant, vel festinatione, qua de rebus ju-

Digitized by Google

dicant, adeo aberat ab his vitiis Ostilius, ut, quemadmodum apud Platonem de Isocrate praedicavit Socrates, natura philosophia quaedam in ejus mente inesse videretur. Istud veritatis assequendae studium efficiebat, ut nulla re magis oblectaretur, quam illarum cognitione, quae cum aeterna veritate conjunctae sunt, ab eaque ad nos manarunt, quare affirmare solebat, si novum studiorum curriculum sibi ingrediendum fuisset, se quidem omnem positurum operam, ut quae tractari, & disputari solent a divinarum rerum doctoribus cum tota illa supellectile, qua non ornantur modo, sed etiam illustrantur theologicae disciplinae, & per se teneret, & aliis traderet. Quae vero hujusmodi noverat, iis ad vitam agendam, non ad ostentationem utebatur; moris enim majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quare non minus doctus vir, quam castus, integer ac religiosus habitus est. Ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate; quidquid promittebat religiose servabat; mendacium neque dicebat, neque pati

poterat, & in nitendo, quod semel admisisset, tanta erat cura, diligentia, atque constantia, ut susceptae rei nunquam illum pertaesum sit. Porro neminem invenisses aptiorem ad inflammandos adolescentes non modo dictis, verum etiam exemplis sapientiae amore, quare auctor fui Leopoldo Austriaco Magno Etruriae Duci, ut eo potissimum uteretur in instruendis liberis suis, quos multos, summaeque expectationis habebat, in omni philosophiae & mathesis genere. Mathematicum hac de caussa e Germania accersiverat, hominem summae levitatis sive mores, sive ingenium spectes, quae magis apparuit, postquam Ostilius munus suum ingressus est, quo docente, eam materiem orationis, quae cujusque esset generis, omnibus locis descriptam, instructam ornatamque Regii adolescentes facile comprehendebant, rebus dico & sententiis. Atque illud totum artis, tum animadversionis, tum consuetudinis, quod positum in eo est, ut noscas regiones, intra quas venire debeas, ut pervestiges quod quaeras, ac nihil te effugiat, atque

omne

omne, quod erit in re, occurrat atque incidat, proprium adeo erat Ostilii, ut ii, qui audiebant, natura, & genere, & universa re cognita, de singulis quaestionibus statuere facile potuissent. Eximiam hanc rerum maximarum scientiam vel ipse Josephus II. Caesar in eo admiratus est: nam cum interesse voluisset exercitationibus, in quibus versabantur fratris sui liberi, plures se audivisse praeceptores testatus est, unum vero Ostilium, quem hoc nomine dignum existimasset. Sane fortunatissimum dixeris Leopoldum, quod non tam filios, quam filias suscepisset, in quibus praeclara erat indoles ingenii & virtutis, e quibus unam nomine Mariam Teresiam domus Saxonicae felicitati destinatam Ostilius in geometria, & in omni fere re physica erudivit. Hi chari erant Etruriae, quae quod tanto bono orbata fuisset, postquam, mortuo Josepho, Leopoldus Germanici imperii gubernacula prehendit, magno & justo dolore affecta fuit. Sed doluit praesertim Ostilius, quod eo tempore, quo fructum laborum suorum se percepturum sperabat, cum tam non cu-

peret nihil, quam solutum omnibus vinculis in portum confugere non inertiae neque desidiae, sed otii moderati atque honesti, jussus est a Leopoldo ipso redire ad pristinum munus, quod sustinebat in Academia Pisana, non alia mercede, quam quae ab hac illi pendebatur, quamque modicam dixisses, si merita hominis, & res amplissimas, quibus gloriose perfunctus est, spectasses. Moleste id adeo tulit, ut ejus valetudo plurimum perturbata fuerit, quam nunquam potuit recuperare. Servire & coegit iracundiae suae Musas, quas faciles semper expertus est, quanquam raro invocare soleret, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videretur. Minime valuere consilia amicorum, qui ab eo exigere videbantur, ut medicinam doloris ab iis ipsis praeceptis peteret, quae ceteris dare solebat, ne moverentur humanarum rerum vicissitudinibus, neve impetu quodam animi & perturbatione magis, quam consilio & judicio regerentur. Jam si caussam quaeris immutatae adeo Leopoldi in Ostilium voluntatis, nul-

lam reperies aliam, nisi libertatem, qua in omni sermone exagitabat eos, qui multa novari volebant iis in religiosis institutionibus, quas a majoribus accepimus. Obtigit tandem Etruriae, ut regeretur a Ferdinando III. quo nullus unquam in terris integrior Princeps fuit, nullus aequior, nullus humanior, atque prudentior. Is pro benevolentia, qua semper prosecutus est Ostilium, proque opinione, quam habebat de illius doctrina moribusque castissimis, ipsum aulae reddidit, cum jussisset adesse Mariae Aloysiae conjugi in iis exercitationibus, quas habere consueverat ad se se erudiendam tum in omni re historica, tum in ea disciplina, quae docet quod rectum sit, & qualis ex aliorum laude noster animus esse debeat. Quam scienter officium suum praestiterit minime necesse habeo commemorare, cum ipsa testari soleat plura se ab Ostilii voce, quam a librorum lectione didicisse. Quidquid dicebat, ornabat verbis & sententiis; undique sumebat materiem multiplicium variorumque sermonum; quod ipsius in mente insidebat species pul-

Digitized by Google

chritudinis eximia quaedam; recte & severe de poeticis & oratoriis scriptis judicabat; noverat Etruscae linguae veneres omnes, quas in iis, quae litteris mandavit, felicissime expressit, neque domesticis contentus, quaesivit externa: Hispanicam enim, Gallicam, & Britannicam linguam callebat. Atque hoc loco monendos eos arbitramur, quorum sermo imperitus increbuit, ditandam esse patriam linguam exterarum ornamentis, ut imitentur Ostilium, qui studio optimo, ac judicio non minus firmo praeditus, dum examinabat diligentissime verborum omnium pondera, nefas duxisset ea adhibere, quae peregrinitatem olebant, quaeque inurbana atque insolentia dixeris. Addebat magni judicii, magnaeque facultatis esse debere scriptorem illum, qui adlaborabat, ut nova vocabula, novique dicendi modi in honore essent, ac civitate, ut ita dicam, donarentur, quod omnino ab eo vitandum esse censebat, si habuisset domi, quod rem maxime explanet, & optime sonet: nam etsi sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res saepe aut probatur, aut

rejicitur alio atque alio elata verbo. Quia fortasse non satis dilucide declaratum nonnullis videbitur quantis & quam uberrimis artibus ornatus esset Ostilius, & quam praestanti ingenii vi esset instructus, exemplum ponam cujusdam dissertationis, quam Florentina Georgophilorum Academia praemio dignam judicavit, cujusque se auctorem dixerat nescio quis clericus Laurentianae Basilicae. Quod hic expers ferme erat litterarum, quaesitum ab eo est, unde tot subsidia habuisset ad scriptum exarandum satis elegans, & multa eruditione adspersum, ut probaret quibus ex caussis in regionibus quibusdam in more positum fuit, ut per annum, vel amplius quiescat tellus, & quae huic malo afferri remedia potuissent (*). Affirmavit is sibi ducem & magis-

(*) *His verbis conceptum èrat problema*. Se i maggesi o riposi di uno e più anni, che si danno alle terre in alcune delle nostre Comunità e Provincie, dipendano da cause fisiche, o politiche, o morali, e come si possa rimediare a ciò in tutto, o in parte.

Digitized by Google

trum fuisse Ostilium, a quo cum percuntatus fuisset quid de tota hac re sentiret, ejus non modo sententias, sed & pene verba ipsa memoriae mandaverat; quare & plausus & praemia ei deberi unice. Recusavit haec homo nec gloriae, nec quaestus appetens, ea contentus laude, quod nemini litterarum reique publicae studioso opem & consilia sua denegabat. Frustra vero ab ipso petiisses, ut aliquid in lucem emitteret, quod posteris testaretur summos, quos in litteras impenderat, labores, non quia vereretur reprehensionem doctorum, atque prudentium, sed quia ipsis litteris satis consultum putabat, quasi eae respuere totum id deberent, quod non esset omni ex parte, & in suo genere perfectum. Aegre ab illo pauca obtinere potui, quibus ornarem ephemerides litteratorum, quas Pisis vulgare solebam, nunquam vero non promptum paratumque habui, quoties censuram nugarum mearum, quas pro sua humanitate aliquid esse putabat, ab ipso quaesivi. Eram fere quotidie cum eo, ejusdem doctissimos sermones requirens, & mihi sane gratularer,

si ejus memoriam quam vivam, dum spiritum duxero, retinebo, immortalem reddere possem. Nullos ex Maria Catharina Anastasia, quacum vixit conjunctiſſime, suscepit liberos, mortemque Florentiae obivit prid. non. Septembris an. MDCCXCVII. postquam diu & multum aegrotaverat: nam biennio antea apoplexi correptus fuerat. Quia spes erat ab amicis, quos multos & nobilissimos habuit, symbolam collatum iri ad monumentum illi in celeberrimo aliquo urbis templo ponendum, Aloysius Lanzius vir scribendi elegantia clarus, quique ei perfamiliaris fuerat, hanc inscriptionem fecit.

Digitized by Google

Andreas Hostilius Civis Florentinus, Doctor Physicorum Decurialis in Academia Pisana per annos XX. *Magister de Sacra Aula a Petro Leopoldo M. D. datus Liberis suis ad Dialectic. & Metaphysicen, Adjutor Aloysiae Mariae Borboniae M. D. ab recensione historiarum, Idem Poeta elegans, Mathematicus subtilis, nullius prope honestae disciplinae expers fuit. Saepe in Coetu Apathistarum, proposita quaestione, quam quisque vellet, ita respondit ex tempore, ut eum frequens corona Polyhistorem & Patriae suae Picum consalutaverit. In amicitiis colendis, in tuenda re familiari diligentissimus habitus est. Doctrinam Orthodoxorum invita temporum licentia constans tenuit, defendit, ratus Philosopho indignum rationi hominis auctoritatem numinis posthabere. Vixit an.* LXII. *cujus excessum Domini Nostri clementissimi moerore suo honestaverunt.*

INDEX VITARUM

Quae in hoc XVII. Volumine continentur.

Paullus Sarpius	pag. 1.
Sfortia Pallavicinius	92.
Jo. Baptista Donius	141.
Antonius Magliabechius	195.
Petrus Franciscus Toccius	225.
Carolus Maria Maggius	247.
Franciscus Lemenius	270.
Joseph Toaldus	291.
Jacobus Bellogradus	326.
Bartholomaeus Bianuccius	373.
Andreas Ostilius	379.

Digitized by Google

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC XVII. VOLUMINE CONTINENTUR

A

Academia Patavina 309. 360
. . . . Senensis 347.
Accoltus Benedict. 206.
Adimarius Lud. 265.
Albitius Card. 56.
Alciatus Terentius 107.
Aleander Hieronym. 160.
Alexander VII 108. 119. ejus mores 110.
Analyseos utilitas 342.
Andersonius Alex. 64.
Anno Joseph. 252.
Aquapendens Fabritius 9. 11. 23. 47.
Aquilinius Caesar 72. 121.
Archimedes 349.
Aresius Barthol. 253. 272.
Aretinus Leonardus 206.
Asylorum jus 54.
Austriaca Maria Teresia 385.

B

Bacchinius Bened. 206.
Bandinius Angelus 134.
Barbadicus Card. 326.
Barberinius Franc. Card. 119. 149. 152. 156.
Baronius Card. 33. notatus 61.
Bellarminius Card. 33.
Bellinius 217. 233.
Bellogradus Carolus 321.
. . . . Jacobus ejus vita 326. physica & mathematica docet & illustrat 330. & seq. poesim excolit 329. 361. Herculanensia monumenta explicat 335. Aegyptiaca 358. metaphysica tractat 353. & seq. mores 362. mors 364.
Beneficiorum origo & jura 52.
Beninius Orlandus 369.
Bertinius Ant. Franc. 235.
Bianuccius Bartholomaeus ejus vita 373.
Boccalinus Trajanus 40. 46.
Bouhoursius 265.
Bolandistae 205.
Bompianus Ignatius 120.
Borromaeus Carolus 5.
. . . . Vitalianus 257.
Bossuetius Benignus 48

Digitized by Google

Bracciolinus Poggius 206.
Brencmannus Henricus 207.
Bucellius Vincent. 221.
Buchles Jo. 205.
Burnetius Gilbertus 41.

C

Caccia Alex. 88.
Castagna Card. 15.
Castellius Benedict 350.
Catalonius Jo. Petrus 122.
Cataneus Carolus. 231.
Cenetae dominium 57.
Cesarottus Melchior 294.
Ceva Thomas 249. 278. 281.
Chiminellius Vincentius 305.
Chisius Fabius 95.
Ciampolius Jo. 95.
Cinellius Jo. 213.
Clemens VIII 22.
Cognatus Marsilius 162.
Columna Card. 33.
Comes Antonius 295.
Concilium Florentinum 373.
Corsinius Octavius 145.
Cosmus III. M. E. D. 213. 217. 228. 266. 267.
Christina Svecorum Regina 266. 280.
de Cueva Alphonsus 59. 62.
Cujacius 143.

D

Datius Carolus 148. 197.
Daumius Christianus 204.
de Dominis Marcus Ant. 69.
Donius Jo Bapt. ejus vita 141. studia 142. & seq. itinera 143. 145. 151. inscriptiones colligit 147. poesim colit 150. 154. ejus opus onomasticum 156. de veterum Etruscorum lingua 158. de salubritate aeris Romani 161. de Graecorum musica 163. & seq. de agricultura 177. munera 159. 173. mors & mores 178.

E

Echellensis Abraham 175.
Elisabetha Borbonia 338.
Eleonora Austriaca Poloniae regina 276.
Erythraeus Jo. Nicius 97.
Euripidis tragoedia 259.

F

Falchius Franc. Ep. 87.
Fanzanus Franc. 69.
Ferdinandus II. Etruriae Dux 173. 175. 177. 387.

Ferdinandus III. 289.
. . . . . . Mantuae Dux 284.
. . . . . Parmae 346. 359.
Filicaja Vincent. 227. 233.
Florettus Benedict. 154.
Foſſius Ferdinandus 188.
Freſcobaldius Jo. Bapt. 229. 231.
Friſius Paullus 300.

G

Galilejus Galileus 23. 65. 293. 350.
. . . . . Vincentius 164.
Gerso Jo. 33.
Gibertus Guillelmus 16.
Giojosa Card. 38.
Gobellutius Scipio 30.
Gonzaga Guillelmus 3.
. . . . . Hercules 4.
Gorius Ant. Franc. 149.
Graeci quam muſicae periti 164. 177.
Gronovius Jacobus 200. 210.
Guglielminius Dominicus 339. 350.

H

Harvejus Guillelmus 9.
Heinſius Nicolaus 179.
Henricus IV. Galliae Rex 38.
Herculanenſes antiquitates 335.
Hermelotius Barth. 208.
Hydroſtaticae origo & progreſſus 350.
Hygrometri inventio 305.

I

Jacobeus Oligerus 203.
Jacobus Angliae Rex 42. 64. 70.
Janſenius damnatus 106.
Jattinius Jo. Bapt. 120.
Jeſuitae notati & defenſi 104. ab Hiſpania expulſi 344. Parma 352. deleti 353.
Innocent. X. 106.
Joſephus II. Caeſar 385.

L

Lanzius Aloyſius 391.
Latinae linguae laus 322.
Laurus Jo. Baptiſta 159.
Leibnitius 203.
Lemenius Franciſcus ejus vita 270 munera 271. ad poeſim factus 274. mors 284.
Leopoldus Caeſar 210. 271
. . . . . Magnus Etruriae Dux 384. 385. 386.
Leſcaſſerius Jacob. 32. 53.
Ludovicus XIV. Rex 154. 210. 268.
Lucardeſius Jo. Paullus 235.
Lucarinius Rainaldus 123.
Luchius 304.
de Lugo Jo. Card. 93.

Lullus Raymund. 205.
Lyra Barberinia 168.

M

Mabillonius 205. 207.
Mablius 68.
Maggius Carolus Maria ejus vita 249. de Lemenio judicium 275.
Magliabechius Antonius ejus vita 195. liberalitas in viros doctos 200. fama 203. 210. mores 213. mors 220.
Malvetius Card. 352.
de Magnete opus 16.
Manfredinius Frid. 286.
Manfredius Eustach. 350.
Marchentius Aloysius 327
Maria Aloysia Ferdinandi III. uxor 387.
Marottus Joseph 243.
Marsilius Jo. 37.
Martinius Jo. Bapt. 165.
Massarinius Hippolyt. 22.
Mediceus Ferdinand. 217.
..... Franciscus Maria 211.
..... Jo. Gasto 217. 219.
..... Leopoldus 166. 198. 21:.
Mejus Hieron. 164.
Menzinius Bened. 217, 228.
Micantius Fulgentius 22. 53. 71.
Minuccius Minuccius 59.
Molina Ludovicus 22.
Monelia Andreas 213 217.
Montanarius Geminianus 350.
Montfauconius 205.
Morigia Archiep. 226.
Morgagnius Jo. Bapt. 10.
Muratorius Lud. 249.
Musica qnomodo a veteribus culta 135. quot scriptis a Donio illustrata 164. & seq.

N

Neptuni thronus 348.
Nicolinius Antonius 380.
Norisius Card 200. 216.

O

Ostilius Andreas ejus vita 379.

P

Pallavicinius Sfortia 72, ejus vita 90. munera 96. 109. opera poetica 97. moralia 102. 125. theologica 103 historica 107. & seq. ad dicendi elegantiam spectantia 116. Cardinalis creatur 108. mores 97. 125. mors 126.
Paullus IV. notatus 113.
..... V. Venetis infensus 28. cos sacris

intercidit 29. laudatus 76.
Peireſkius Claudius 9.
Perius Jacobus 168.
Philippus IV. Hiſp. Rex 271.
. . . . . Parmenſium Dux 337. 344.
Philoſophiae utilitas 189. & ſeq. quae falſa dicatur 376.
Piſanum Lyceum 369.
Pius VI. 245.
Poeſis corruptela 247.
Porta Jo. Bapt. 16.
Puccius Ant. Card. 88.
a Puteo Caſſianus 151.

Q

Quorlius Philippus 72.

R

Ramazzinius Bernardus 213.
S. Realius 62.
Redius Franc. 225. 248. 264. 268. 275.
Riccius Scipio 89.
Roſpilioſius Julius 126.

S

Salmaſius 1.
Salvinius Antonius Maria 220.
. . . . . Salvinus 220.
Sarpius Paullus ejus vita 1. magiſteria 6. inventa 9. 11. multiplex doctrina 12. 66. munera 13 15. 28. ſcripta analytica 18. 64. metaphyſica 19. politica 20. 45. 60 theologica 22. hiſtorica 5. 51. 59. 67. 76. pro Venetis 30. & ſeq. 44 50. 52 58. 62. 75. odia in eum 27. 37. 41. 57. 70. pericula ipſi creata 46 52. mores 77. mors 79 a Pallavicinio confutatus 107. 112.
Scala Barth. 204.
Scioppius Gaſpar 46. 149. 156
Scotus Julius Clemens 104. 120.
Segnerius Paullus 115. 265. 268.
a Septimello Henricus 204.
Sol quomodo lucem recuperet 357.
Spallanzanius Lazarus 339.
Suzzius Joſeph 292.

T

Targionius Jo. 203.
Taurellius Beatus 335.
Thomaſius Card. 125.
Toaldus Joſeph ejus vita 291. Galilei opera edenda curat 293. aſtronomiam provehit 296. meteorologiam 298. & ſeq. ejus mores 311. mors 314.

Toccius Petrus Franc. ejus vita 225.
Torricellius Evangelista 350.
Traversarius Ambros. 206
Tridentini Concilii historia 67. 107.

V

Varignonius 327.
Variolarum insertio 346.
Veneti a Romanis Pontific. exagitati 28. 33. iisdem reconciliati 38. eorum merita in Sarpium 26. 28. 35. 48. eorum jura in Cenetam 57. in mare Adriaticum 62. in Aquilejensem Patriarchatum 63. libertas 58. conjurationes in eos & bella 61. 62. quantum in astronomia & nautica valuerint 308. quantum populorum felicitati consuluerint 309.
Vido Card. 272.
Vieta 17. 65.
Vivianius Vincentius 237.
Urbanus VIII. 97. 107. 150. 159. 175.
Ursius Augustinus 231.
Uscoccorum historia 57.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 7.	lin. 9.	1678.	1578.
86.	ult.	accusatoriae	accusatorie
214.	17.	hic	qui
254.	9.	revocaret	revocavit

VA1
1551229

Digitized by Google

[illegible] Google

148.
7.
60.

Digitized by Google